BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S
13 — M
17

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

71
4
G
10

# DE PASSIONE DOMINI
# MARCI ANTONII
## NATTAE ASTENSIS
## Libri ſeptem in Dialogo ſcripti, ac nunc primum editi.

ACCESSIT AD FINEM PRAETER
librorum argumenta ſummatim collecta,
tum rerum memorabilium tum
locorum ſcripturæ Index
locupletiſsimus.



Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. inscr. B.S.

IN MONTE REGALI, MDLXX.
Permiſſu eorum qui in hæreſim inquirunt.

# BERNARDINI CASTELLINI
## AD LECTOREM EPIGRAMMA.

*TAntò dulce magis cantare feruntur olores,*
*Imminet his quantò preſſius hora necis.*
*Haud ſecus excellens ſtellanti proximus aula*
*Supremos cantus dat tibi Natta ſuos.*
*Non vbi Romanos illum ceciniſſe triumphos,*
*Non vbi vel regum facta ſuperba leges:*
*Aſt ſuperum regis magnos luxiſſe labores,*
*Flagra, crucem, clauos, ſerta cruenta, necem.*
*Nos, quibus, in patriam deuicta morte reduxit,*
*Angeliciſq; dedit cœtibus eſſe pares.*
*Hàc igitur regnum fugies immane Tyranni,*
*Hàc iter in cœlum candide Lector habes.*
*Hæc lege, dimiſſis longè poſt terga prophanis,*
*Hinc tibi mors, illinc vita perennis erit.*

# SANCTISS. D. N. PIO V. PONT. MAX.

## MARCVS ANTONIVS NATTA ASTENSIS,

## Salutem & humilem ſui commendationem.

ANNIS proximis ſcripſi libros ſeptem de Domini paſsione horribili illa quidem & ſalutari: horribili, quia conſtat omnium fuiſſe accerbiſsimam: ſalutari, quoniam in hac ſalutis noſtræ ſumma conſiſtit. Enimuero quum capti eſſemus omnes in primo humani generis parente, vnigenitus Dei filius noſtra natura aſſumptá per hanc nos liberauit, & aduerſarias poteſtates ſuperauit non ſoluta & armata, ſed inermi & conficta manu. Qua in re illud mirandum eſt, quòd voluerit naturam noſtram aſſumere, & in ligno crucis noſtram conficere ſalûtem, ita vt qui in triumpho duci, vt victus videbatur, ipſe potius eſſet triumphator, ſicut idem & pretium redemptionis extitit & redemptor. Sed in pleriſq. huiuſmodi ſunt diuina opera, vt omnem ad ſe trahant admirationem. Quid fabrica mundi maius? quid operoſius? quid admirabilius? Attamen fabricator mundi Deus hanc molem tantam excitauit é nihilo, vnico nutu, nullo labore. At dum noſtram operatus eſt ſalutem, nòn modo laborare voluit ſed etiam extrema quæq. perpeti, aſſumens communionem imbecillitatis noſtræ. Hoc tam admirabile eſt, vt omnem ingenii humani ſuperat facultatem. Sed de his latius in his libris diſſeruimus ſanctorum patrum veſtigia imitatus, ſi non pari eloquentia, at non fortaſſe minori ſtudio, ac labore ſcribendi. Hos ego libros ad te mittere decreui atq. etiam dicare, imitatus conſuetudinem horum temporum, qua conantur homines huiuſmodi dicationibus ad ſummos viros factis ſcripta ſua illuſtrare. Illud etiam potiſsimum fuit in cauſa, quòd nulli commodius hi libri dicari poſſe videbantur, quàm tibi, qui vicem geris in terris eius, qui tanta pro nobis geſsit, quanta miramur, & non modo dicendo ſed nec cogitando quidem explicare valemus. Accedat etiam, quòd cum cogitarem cui hos libros dicarem, nomen tuum & dignitas excitauit mihi memoriam

PII Summi Pontificis, cui tu in ſolios Petri proxime ſucceſsiſti; nam quum illi libros de immortalitate animi cum quibuſdam aliis opuſculis ad Chriſtianam pietatem ſpectantibus miſiſſem, tunc illa mecum. Quid nunc inquam mutamus? Cur non eodem ferimur? Nam & tu ſummus es Pontifex & pius, & Pius Pio ſtatim ſucceſsiſti: hoc & ſi cuiquam leue videatur, tamen (crede mihi) non parum me mouit. Quæres forſitan, quid hi libri ferant nouitatis, nihil, niſi quòd forſitan plenius & vberius dominicæ paſsionis triumphũ continent: multa enim excerpſi tum a veteribus eccleſiæ Doctoribus, tum à recentioribus Theologis, & cultiore fortaſſe etiam orationis veſtitu ambulant, quàm in quorundam libris legantur. Mediocritas enim mea iam tibi in dicendo nota eſſe poteſt. Enimuero quum libellum, quem de Dei locutione inſcripſi, edere vellem in vulgus, Academia quæ tunc erat Veneta, & nunc extincta eſt, quę id munus ſuſceperat, tibi in minoribus agenti (Cardinalis enim Alexandrinus uocabare) libellum illum dicauit, quem te legiſſe ſuſpicor, tum ob materiæ dignitatem, tum quia a doctiſsimis uiris miſſus fuit, aſſerentibus, ut putabant ipſi, & uerbis eſſe illuſtrem, & ſentẽtiis grauem. Quamquam hos meos labores ad te mittere uolui, non ſpectans ad aliquod eloquentiæ meæ robur, aut ingenii acumen, aut doctrinæ opes: ſed ad humanitatem tuam, qua impulſus, ut læte hoc meum munuſculum ſuſcipias, peto. Supereſt nunc, ut omnipotentem Deum rogemus, qui te ex monaſteriorum diſciplina eductum & in ſacris literis exercitatum eccleſiæ ſuæ præeſſe uoluit, incolumen diu ſeruet, efficiatq. ut per te aliquando recreetur: nam nec noſtra nec patrum memoria durius oppugnata eſt intus & extra, quàm hodie oppugnetur: ſperamus omnes boni quandoq. hæc meliora fore te ſummo Paſtore adminiſtrante. Eſt enim Chriſtus, quem ſequimur, omnium Dominus: ille iam dixerat in opere Pſalmorum, Meus eſt orbis, ergo facilè poterit manu hunc orbem conuertere & efficere; ut quæ nunc ſunt ſiniſtra, dextera reddantur. Commouebitur ille, (ut opinor) orationibus Sanctitatis tuæ, & uirtutibus. Sed quorſum feror? iam enim de laudibus tuis dicere ingrediebar, ſed reprimo me, ne epiſtolæ mediocritatem excedam, uel illud potius, ne offendam ſapientiſsimas tuas aures, quæ ab huiuſmodi uerborum lenociniis abeſſe ſolent. Iterum fœlix ſit Sanctitas tua.

INDEX

# INDEX EORVM, QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Procœmium.

## IN PRIMO LIBRO.


*Introductio dialogi ſeu collocutionis.*
*Paſſio Domini anniuerſaria ab eccleſia celebratur, & quare.*
*Quo Procœmio quis utatur uerba facturus ad populum de paſſione Chriſti.*
*Vtrum Chriſti paſſio ſit lugenda, & quomodo.*
*Necatum à Iudæis Meſſiam, qui & homo fuerat, & legiſer, & propheta, & Sacerdos, & Rex, & Deus.*
*Chriſti geſta prophetarum uocibus antea prædictá fuiſſe ueteri in lege, & in figuris ibidem*
*Vtrum paſſio Chriſti fuerit omnium accerrima & grauiſſima.*
*prænotata extitiſſe.*
*Chriſtum in ſua paſſione omnes miſerationis locos impleuiſſe.*
*Num reuelationibus ſit credendum, quibus dicitur plura paſſum fuiſſe, quàm quæ narrat euan-*
*De admiratione Pilati, quòd Chriſtus tam cito occiderit. (gelium.*
*De ualido clamore Chriſti in cruce paulo prius, quàm expiraret.*


## IN LIBRO SECVNDO.


*De cauſis paſſionis huius*
*Chriſto præcipuam cauſam patiendi in cruce fuiſſe, ùt humanum genus collapſum peccato primi parentis a ſeruitute Diaboli redimeret, & à patris ira liberaret.*
*Ita ut liberaret à proprys peccatis per baptiſmi & pœnitentiæ ſacramentum in eius ſanguine fundatum.*
*Diabolum iuſtè conqueri non poſſe hominem, quem peccato ipſe ceperat, & captiuum detinebat, à Chriſto fuiſſe ereptum & liberatum.*
*Deum in hac paſſione ingentem oſtendiſſe erga homines charitatem.*
*Quare redemptio non ſtatim poſt peccatum facta, aut in finem mundi dilata.*
*Cur per Chriſti mortem peccatum originis duntaxat ablatum ſit, & non cætera infauſta, quæ propter peccatum illud contigerunt.*
*Cur Chriſtus in iuuenili ætate & in Hieruſalem extra portam mori delegit.*
*Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus, & pro multis quomodo accipiendum.*
*Vtrum iuſtè diabolus pro ſolius Adæ peccato cunctos eius poſteros captiuos detineret.*
*Chriſtum hac ſua paſſione humilitatis, patientiæ, iuſtitiæ, virtutum denique omnium nobis exemplum reliquiſſe.*
*Chriſtum palam in conſpectu omnium mori voluiſſe, ne vbi reſurrexiſſet, mortuus negaretur.*
*Chriſtum tam multum pati voluiſſe, vt merito tam magnæ paſſionis facilius pro peccatis noſtris à patre veniam obtineret.*


## IN LIBRO TERTIO.


*Hiſtoria paſſionis.*
*De cœna paſcali cum diſcipulis facta.*
*Cur Iudam maniſeſtum non fecerit, quem proditionem moliri nouerat.*

Sacramentum inſtituit corporis & ſanguinis ſui.
De lotione pedum, quam fecit diſcipulis.
De oratione conſolatoria facta poſt cœnam ad diſcipulos, in qua ſimul de maximis myſterijs eos erudiuit.
De profectione Chriſti à Hieroſolymis, & egreſſione eius trans torrentem Cedron, & aduentu eius in villam Geth Semani.
De diſcipulorum ſomno.
De captura Chriſti, & de his, quæ in ea dicta & geſta ſunt.
Quomodo primum ductus ſit ad Annam Caiphæ ſocerum, & de Annæ interrogatione, & Chriſti reſponſione, & alapa ſibi per miniſtrum inflicta.
Quomodo deinceps Chriſtus ad Caipham pontificem perductus & ibi in concilio Sacerdotum reus mortis eſt habitus.
De Petri abnegatione.
De Herode, ad quem miſſus a Pilato noluit ſigna facere, ſicut ille cupiebat, & ab eo contemptus remittitur ad Pilatum.
De accuſationibus Iudæorum coram Pilato, & de geſtis ibidem & dictis.
De flagellis, ſpinea corona, & illuſionibus militũ, quæ Chriſto in Pilati prætorio illatæ fuerũt.
De clamore Iudæorum poſtulantium crucifigi.
Chriſtum crucem humeris ſuis portaſſe.
De mulierum fletu, dum Chriſtus duceretur ad ſupplicium, & de Chriſti ad mulieres ſermone.
Crucifigitur, & qua hora diei id factum, & quoto anno à mundi initio.
De ſeptem Chriſti vocibus in cruce.
Commendauit Matrem diſcipulo.
Latroni Paradiſum pollicetur.
Patrem pro crucifixoribus orauit tamquam neſcientibus, & vtrum ignorauerint omnes Iudæi Chriſtum eum fuiſſe.
Commendat Patri Spiritum.
Poſtremo illud protulit, Conſumatum eſt.
Dixit deſtitutum ſe à Deo, & quomodo id accipiendum.
Dixit ſe ſitire, & de potu fellis & aceti oblato.
Expiratio Chriſti.

## IN LIBRO QVARTO.

De conuicijs, quæ iactata ſunt in Chriſtum, dum in cruce penderet à principibus Sacerdotum, & cæteris Iudæis.
Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificabo illud.
Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.
Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluare non poteſt.
Confidit in domino, liberet eum, dixit enim, quia filius Dei ſum.
De conuitijs militum.
De conuitijs latronum, & vtrum vnus, vel ambo conuitiarentur.
Cur Chriſtus magis cruce mori voluerit, quàm alio ſupplicij genere.
De crucis laudibus, potentia, virtute, honore, poſtquam Chriſtus eam ſuſcepit.
Contraria geſſiſſe Chriſtum in ligno crucis his, quæ geſſit Adã in ligno pomi, & ſimilia etiam (quædam.

## IN LIBRO QVINTO.

De Iuda & Pilato, quibus dominica adſcribi poteſt paſſio.
De vnguento effuſo per Mariã ſupra caput Chriſti, et de Iudæ murmure, et de cogitatione pro- (ditionis.

Cur

*Cur Chriſtus, ſciens Iudam furem eſſe loculorum, eum tolerauerit.*
*Quot modis Chriſtus Iudam à ſcelere proditionis reuocare conatus ſit.*
*De venditione Chriſti facta per Iudam.*
*De prophetia ſuper tribus ſceleribus.*
*De Iudæ pœna.*
*De Iudæorum pœnis ob mortem Chriſti.*
*De Pilato miſſo in Iudæam a Tiberio Cæſare.*
*Vtrum præſes fuerit an procurator.*
*Quantis rationibus conatus eſt Pilatus Chriſtum liberare, & ad ſingula Iudæi ſe oppoſuerint.*
*Cur iuſſerit Pilatus Chriſtum flagellari.*
*De lauatione manuum Pilati.*
*Non excuſari Pilatum, qui, vt populo ſatisfaceret, Chriſtum dãnauit, et illis in mortẽ tradidit.*
*De pœnis Pilati ob Chriſti damnationem.*
*De pœna Herodis, qui Chriſtum illuſit.*
*De inſomnio vxoris Pilati.*
*Chriſtus quomodo morte crucis dignus & indignus.*
*Chriſtum traditum eſſe in mortem a Deo Patre, a ſe ipſo, a Iuda, a Iudæis, a Pilato: hancq; rem alijs ceſſiſſe ad laudem, alijs ad contumeliam.*
*Chriſtum, vt ſe Deum oſtenderet, miracula feciſſe & numero & pondere maiora, quam quiſquam alius.*
*Quid futurum, ſi Iudæi credidiſſent, neque crucifixiſſent, num humani generis ſequuta fuiſſet redemptio.*

## IN LIBRO SEXTO.

*De miraculis, quæ propter crucifixionem Chriſti contigerunt.*
*De tenebris factis ſuper vniuerſam terram, & de Solis obſcuratione, vtrum ea facta ſit interiectu Lunæ, vel alia de cauſa.*
*De Sciſsione veli, quod in templo fuerat à ſummo vſque deorſum, & de eius ſignificatione.*
*De Terræmotu & petrarum ſciſsione.*
*De reſurrectione mortuorum, monumentis apertis, & de eorum apparitione.*
*Non poſſe miracula, quæ in aliorum morte contigerunt, cum iſtis conferri.*
*De ſanguine & aqua, quæ prodierunt de Chriſti mortui aperto latere: & quid ea ſibi velint, & quibus veteris legis figuris id fuerit prænotatum.*
*De titulo crucis, & de conſtantia Pilati, qui noluit corrumpere tituli inſcriptionem.*

## IN LIBRO SEPTIMO.

*Rurſus quædam de cauſis dominicæ paſsionis, & quare Angelus non fuerit redemptus, ſed homo.*
*Vtrum diabolus intellexerit Chriſtum, filium eſſe Dei, & redemptionis negotium tunc per eum agi.*
*Maximam oſtendiſſe Deum erga humanum genus charitatem, qui aſſumpta humana carne pati, & mori voluerit pro hominum ſalute, & nunquid aliàs tale quid fuiſſe factum humanis exemplis oſtendi poſſit.*
*De timore Chriſti in horto, & de eius oratione deprecatoria ad Patrem, vt à ſe tranſiret calix, & de ſanguineo ſudore, & quibus rationibus id contigerit.*
*De Chriſti ſanguine, quanta is effuſus bona contulerit mortalibus.*
*Epilogus huius paſsionis, in quo multa de charitate Dei, & de fructu, quem hæc paſsio attulit, dicuntur.*
*Præclarum Ioſephi de Chriſto teſtimonium.*

*Romæ*

*Romæ actum, vt Christus pro Deo coleretur.*

*De ingenti ſanctiſſima Dei genitricis Mariæ afflictione in paſſione Filij, & veriſſimè martyrem dici poſſe, quæ in Chriſto & pro Chriſto paſſa fuerit, & cuius animi dolor cæterorum martyrum tormenta ſuperarit.*

*Oratio ſupplex ad Dominum IESVM Redemptorem noſtrum pro peccatis.*

FINIS.

## Errata inter excudendum commiſſa ſic corrigito.

Pagina 1.verſ.28.miretur tantam.Pag.52.verſ.38.immolabatur.54.22.dignitatem.& verſ.28 conſentiat.verſ.30.exhaurienda. Pag.75.5.innuens. Pag.verſ.vltimo,apud Romanos.96. verſ.vlt.impenderetur.98.3.Vtrum mors.99.2.& me (vt dixi) 141.13. ficta ſunt,156.20. Salua enim.

NOS Fr. Alexander Longus Diœceſis Montis Regalis Inquiſitor, ſacræque Theologiæ Doctor, interpoſita particulari conceſsione Reuerendiſſ.& Illuſtriſſ.Sedis Apoſtolicæ Nuntii, Montisque Regalis Epiſcopi, diligenti inſpectione & examine adhibito præſens opus de Paſsione Domini vt catholicum approbamus.

# MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS IN LIBROS DE DOMINI PASSIONE PROOEMIVM.

QVVM omnes homines conueniat, poſt quàm puerilem exceſserint ætatem, & reliquum vitæ curſum inſtituere cœperunt, religionis ſtudio teneri, & ea quærere, quæ ad perpetuam animæ ſalutem deſiderãtur; nihil tam cognitu dignũ, auditu vtile, ſcitu neceſsariũ exiſtimaui, quàm aſsiduè tracta re animo, & reminiſci, quæ vnigenitus Dei filius de ſolio æterni patris deſcẽdens homine aſsumpto dixiſse, & feciſse perhibetur, & in his præcipuè ea, quæ ſupremo eius vitæ tempore voluit perpeti pro totius humanæ gentis ſalute: nam, quum peccato originis ſordidati eſsemus, propriis etiam peccatis obliti teneremur, venit ille collapſas res miſeratus, vt omnia in priſtinum reſtitueret: Venit, non vt mundum iudicaret, quod eſt regiæ cuiuſdam poteſtatis, ſed vt erudiret, & corrigeret, quod eſt ſummæ benignitatis: venit, vt omnes a peccatis ſaluos faceret, quod eſt maximæ charitatis. Qua in re, quoniam opus eſse videbatur ſacrificio& ſanguine oblato, ipſe ne quidem triſtiſsima & duriſsima recuſauit, ſed poſt flagella, alapas, conuitia, & mille opprobria obtulit ſe vt victimam in ara crucis, vt peccata noſtra tolleret, atque deleret, nec his ſuppliciis ſalutem tantum animæ redemit, ſed etiam corporis propter glorioſam reſurrectionẽ, quæ piis omnibus ob illius merita continget. Quod ſignificans Apoſtolus ad Corinthios. Quoniam (inquit) per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabũtur. Vna mors Chriſti in corpore duabus noſtris mortibus animæ ſcilicet & corporis occurrit, eaſq; depulit. Eademq; mors non ſolum duas noſtras mortes, ſed etiam inimicitias, quæ inter nos & Deum erant, interfecit. Quis nõ miretur tantum amoris flammam? quòd is, qui erat altiſsimus, humana carne ſuſcepta voluerit fieri infimus, nec infimus modo, ſed etiam, quum ipſe eſset expers omnis criminis, eam, quæ debebatur criminoſis, pœnam ſubire: vt mortem noſtram depelleret, & perpetuam felicitatem in cœleſtibus præſtaret. Quo vnigenite Dei, quo tua deſcendit humilitas? Quo tua flagrauit charitas? Quo tua proceſsit pietas? Quo peruenit compaſsio? vt nos redimeres hoſtes maieſtatis tuæ, indebitis pœnis te onerare voluiſti: nihil eſt, quod tanto tuo amori comparari poſsit. In hoc extremo paſsionis actu reſpicere licet inuictiſsimam pa-

tietiam,profundiſsimam humilitatem,altiſsimam charitatem.Quo factum eſt,vt nobis harum uirtutum exemplum præberes. Quis.n.audeat intumeſcere reſpiciens eum,in quo non vmbraticè ſed corporaliter diuinitas inhabitat,uſq; eò ſe demiſiſſe,ut ſceleratorum hominum manibus ſe uiolari ſuſtineret?Nemo illo ſublimior,nemo etiam humilior,ſputis illitus eſt, opprobriis ſaturatus eſt,morte turpiſsima condemnatus eſt,& cum iniquis deputatus eſt.Quanta hæc humilitas?quæ hunc habet modum, uel potius eſt extra modum,Et ecquod inſuper maius ſpeculũ patiẽtiæ deſideramus, quàm dum ſpectamus eum,qui ſolo nutu conuertere omnia poteſt,tam immenſa, tam horrenda tuliſse ſupplicia ſilentio, nulli maledicendo, nec quemquam laceſsendo?Quantum ununquemque noſtrum hæc Chriſti æquanimitas docere poteſt manſuetudinem? Iam uerò docemur hoc propoſito exemplari nullam tanti debere eſse inuidiam, nulla tanti ſupplicia,nulla tanti opprobria,ut queant nos à ueritate,& iuſtitia deducere:quin ea potius contra,aduerſa infeſtaque omnia conſtanter tueri fidentes curæ eſse Deo, qui nos faciet ſuperare omnia, & pro graui duroque certamine æterna, & immenſa præmia largietur,quemadmodum in Chriſto impletum uidemus, cui contulit omnem poteſtatem cœli & terræ,cui dedit nomen,quod eſt ſupra omne nomen,ut in nomine IESV omne genu flectatur. Denique illud profiteri audeo nullum eſse, qui diligenter & ea, qua decet pietate, paſsionem hanc euoluat,quin aliqua ex parte reddatur melior. Viſum eſt autem mihi eam de ſcripto tractare:quoniam quæ litteris mandantur,ea ualidius inhærent mentibus,& fortius imprimuntur.Memineram iam orationes duas,unã in domini natale,alteram in eiuſdem reſurrectionem ſcripſiſse,nec ſcripſiſse tantùm,uerumetiam edidiſse.Cupiebam etiã reliqua Chriſti acta, quæ ſunt plurima & ualde laudabilia omnia,meditari: Sed poſt quàm uitæ meæ conſuetudo,& uariorum negotiorum,quibus neceſsariò implicatus teneor, ſolicitudo id non patitur,ſtatui hoc ultimum eius opus, dum in humanis ageret,aggredi,quod longè maximum,& ſplendidiſsimum,& omnium fructuoſiſsimum extitit.Nemini nanque ſuaderi poteſt,quin hic ſupremus paſsionis ſuæ actus ſuperiora omnia excedat.Eſt enim inertis artificis, quum in opere reliqua rectè præſtiterit,in fine deficere,ac non ipſum illud, quod ſupereſt, & decorem antè geſtis addit,non omni cura elaboratum perfectumque tradere.Mouit me etiam illud,quod conuenire quodammodo uidebatur,ut in hoc ultimo ætatis meæ ſpacio,ultimum etiam opus, quod Chriſtus in humanis geſsit,tractarem. Nullo enim tempore debui de ſalute magis eſse ſolicitus,quam hoc à quo mors longius abeſse non poteſt.Mors autem Chriſti uita noſtra eſt.Ille ille eſt,qui cruce ſua pro peccatis iuſtitiam, pro pœnis gloriam,pro infernis ſuperna nobis retulit. Exiſtimaui autem hæc tractans melius fore,ſi non perpetua & continenti oratione hæc ipſe traderem, ſed dialogo ea includerem: quoniam collocutione alterius cuncta diffuſius & acu-

tius exponi poſſe uidebantur. Fateor equidem me non ordinem ad unguem ſequutum, ut dicerem, quo loco, quoue tempore, & quid primum, & quid deinceps geſtum ſit: nõ enim hiſtoriam dominicæ paſsionis ſcribimus, quod olim euangeliſtæ fecerunt, ſed interpretationem eius aggredimur. Multa enim ſanctiſsimi & eruditiſsimi uiri dixerunt euangeliorum dicta inuicem comparantes, & tanti Iudaici ſceleris, & tam immenſæ diuinæ charitatis cauſam exquirentes, pluraque alia indagantes, quæ digna cognitu, & locutione pia ſunt. Vt autem in aliis meis libris, ita & in his non meas, ſed patrum ſententias expoſui, his tamẽ uerbis, quibus uiſum eſt, uetera dico, ſed pleriſque incognita: eaque maneant eorum, quorum ingenio & labore parta ſunt: iniquum eſt enim aliena diripere, & in laudem ſuam uendicare, quædam tamẽ ipſe meditatus ſum, quæ non ſubtrahenda fuerunt, quoniam ad rem facere & eruditorum iudicio probari poſſe exiſtimaui. Quòd ſi quiſpiam arguat me non omnia explicaſſe, quæ hac in cauſa dici poterant, ſciat me id non latuiſſe, ſed excuſet rei ipſius magnitudo. Quod enim tam fœcundum pectus, tam ferax ingenium, ut id præſtare poſsit? Tanta nanque eſt ubertas materiæ, quod ne multi quidem oratores ſibi ipſis inuicem ſuccedentes, ac per multos dies operam dantes ſufficerent: ſed multa poſterioribus, quæ dici poſſent, relinquerent. Rurſus eadem materiæ ubertas præſtat, ut nemo mediocriter eruditus non poſsit etiam, ſi ſubitò cogatur dicere, dignũ aliquid laude proferre. Sed ut ut id ſe habeat, ſatis eſt pro uiribus conatum fuiſſe, & optimam ad dicendum uoluntatem attuliſſe, idque mihi non defuit. Nunc inuocandi uidentur omnes, qui ubique terrarum ſunt Chriſtum colentes, ut libentibus animis adſint, faueant, & diligenter intendant his, quæ mox dicentur. Videant, quanta ſit uis diuinæ charitatis, quæ nos eripuit è poteſtate Diaboli, recõciliauit Deo patri, Ianuam cœli aperuit, & tandem ad beatifica regna perducit. Hæc omnia continet dialogus, quem non multò ante uno die perfeci cum Euſebio amico & familiari meo aſtantibus duobus adoleſcentibus Mariano & Paulino, qui audientium tantum operam tribuerunt, Euſebius ipſe ſic in cauſam ingreſſus eſt.

# M. ANTONII NATTAE ASTENSIS,

## DE PASSIONE DOMINI LIBER PRIMVS.

Dialogi perſonæ.

Marcus & Euſebius, collocutores.

Marianus & Paulinus, mutæ perſonæ.

*EVSEBIVS.*

NON ignoras Marce, qui hodiernus ſit dies, inſignis ſcilicet paſsione ſaluatoris. Hic eſt ille dies, quem (ut Virgiliano utar carmine) ſemper acerbum, Semper honoratum (ſic dii uoluiſtis) habebo. Etenim ſi, quòd per ſcripturas annũciari Dominus uoluit, id cõmemorandum, & aſsiduè repetendum eſt: quanto magis id faciendum in paſsione eiuſdem, in qua ſumma ſalutis noſtræ conſiſtit. Paſsio enim domini ſemel facta eſt, ſemel mortuus eſt iuſtus pro iniuſtis: poſt quàm reſurrexit à mortuis, non iam ultrà moritur, nec mors ei dominabitur, ut ait Apoſtolus. Attamen hoc paſchali tempore, quo paſſus, & mortuus eſt, anniuerſaria memoria huius rei celebratur, ne liceat obliuiſci: nam hoc die dominum patientem & in ligno pendentem quaſi uidere, & proſpicere uidemur. Nunc cæteri properant ad eccleſias, ut audiant hac de re ſacerdotes concionantes: ego autem huc ueni paulo ante lucem, ut tecum de ea re colloquerer, & exquiram quædam, & audiam reſpondentem, à te enim reconditiora deſidero. Adduxi etiam mecũ hos adoleſcentes Marianum & Paulinum duos ex ſorore nepotes, ut his audientibus ſermo noſter conficiatur, quo tantis de rebus perfectius erudiantur, neque id tibi moleſtum eſſe putaui, ſi ad plures etiam collocutio noſtra perueniret. MARCVS. Rectè mi Euſebi putas hoc tempore dominicæ paſsionis memoriam celebrandam, nam hoc tum eccleſiæ catholicæ inſtitutis, tum pietati noſtræ debemus. Etenim ſi (ut ipſe quoque poſuiſti) ea, quæ ſacris literis incluſa ſunt, hærere debent mentibus, hæc tanta res eſt, ut neceſſarium ſit non eius perpetuò meminiſſe, quum ſalutem noſtram totam con-

tineat, quòd ſi ullo unquam tempore meminiſse oporteat, hoc, quod mox ſubiiciam, ut ardentius hoc die faciamus, commouere poteſt. Olim Hebræa gens ſolemni quodam ritu his diebus agnum per ſingulas domos immolabant, & manducabant in memoriam libertatis, quam illo tempore fuerant ab Aegyptiaca ſeruitute cõſecuti. Nunc uerus ille agnus apparuit, cuius imaginem ille gerebat, qui abſtulit peccata mundi, qui non ab unius Pharaonis dominatu unum populum, ſed uniuerſos homines à crudeliſsima Demonũ captiuitate eripuit, & in cæleſtis regni hæreditatem reſtituit. Quòd ſi illius antiqui beneficii memoria fuit tanta, ut eam quotannis Iudæi celebrarent maximo ſtudio ex omni regione Hieroſolymam concurrentes, quanta iſtius beneficii eſse debet, quod magnitudine utilitatis excellit, & tam latè patet, ut uniuerſas complectatur gentes? Fuit agni illius ſacrificium imago quædã antea præmiſsa huius cœleſtis ſacrificii, quod pro nobis Chriſtus in cruce ſuſcepit. Ergo nos magis intentos ueritati eſse conuenit, quàm illi imagini fuerunt. Sed quàm neceſſaria ſit, quàmque Deo grata beneficii huius cõmemoratio, illud apertiſsimè indicat, quòd ipſe ſaluator extrema illa ſua cœna, qua accubuit cum diſsipulis, inſtituit precioſiſsimi corporis & ſanguinis ſui ſacramentum ſub panis & vini ſpecie, ut eſſet memoriale perpetuum huius rei geſtæ. Sed hæc domeſtica ſunt, externa uideamus. Athenienſes olim inter Græciæ populos armis opibusque florentiſsimi ſolebant quotannis ſermonem lugubrem, quem epitaphium uocabant, per diſertos oratores habere pro iis, qui in bello pro patria pugnantes occubuerant, ne in hoſtium poteſtatem redactam uiderent, ſed ut liberam à maioribus acceperant, ita & poſteris relinquerent. & multi tunc huiuſmodi ſermones legebantur, & nunc etiam extant quidam, quos ea de re Plato, Thucydides, Demoſthenes, qui viri? qua eloquentia præditi? compoſuerunt. Magni illud faciebant nullis regum aut populorum imperiis ſubiici, ſed liberè ſuis legibus uiuere. Itaque eos uiros, qui pro libertate patriæ ceciderant, eam ab hoſtium armis protegentes, & morti ſe fortiter obiicere non formidantes, ne ſeruiret, ſummis honoribus dignos ducebant, eorumque uirtutem ſingulis annis recto memorique animo recenſebant. Hinc matres, ubi audiſsent filios in acie interfectos, lætabantur, & quòd tantam uirtutem patriæ genuiſsent, gloriabantur. Quid dicam de his, qui indignum rati patriam Tyrannis ſeruire, neque id ferre valentes tyrãnidem ſoluerunt, cæſis uel expulſis Tyrannis, iuraque & libertatem ciuibus reddiderunt? Quo cultu, qua ueneratione proſequebantur? Quomodo eorũ nomen ad aſtra ferebant? Nõne etiã diem illũ liberationis ſuæ ad faſtos addebant, & anniuerſariis ſacrificiis omnibuſque ceremoniis cum coniugibus & liberis celebrabant? gratias agentes diis immortalibus, quòd per tales uiros ſalutem illis contuliſsent. Et hæc quidem fiebant in gentibus. Nunc pudet hæc noſtra iſtis conferre: Si tamen quoquo modo conferenda ſunt. Nonne ſuperiori (ſi fieri poteſt) facundia, uel certè maiore animi

pietate ſub annua commemoratione diem illum ſolemnem agere debemus, quo unigenitus Dei filius cœleſtem pátriam,à qua eiecti fueramus, reſtituit, & à peſsima dæmonum ſeruitute,qua obſtricti tenebamur, liberauit, mortemque omnem noſtram morte ſua interfecit.Non enim ſolũ animis( quod fuit maximum)ſed etiã corporibus ſalutem attulit, quod palàm fiet, quum in ultimo mundi fine è monumentis gloriosè reſurgemus. Hæc Chriſti liberatio,quantum ab aliis diſtet,cuilibet poteſt eſse perſpicuum:itaque expoſitione non indiget:Breuiter tamen dicere poſsumus tantum diſtare,quãtum cœleſte bonum à terreno, diuinum ab humano, publicum à priuato diſtat. Sed non utilior modo hæc liberatio,ſed etiam nobilior, quia hanc Deus per ſe ipſum,alias per miniſtros exhibuit. Nullus altior titulus alicui tribui poteſt,quàm ut ſoter nuncupetur,quod uerbum græcum tanti eſt,ut uno uerbo Latino(quemadmodum Cicero ſcriptum reliquit)exprimi non poſsit: Is enim eſt ſoter,qui ſalutem dedit. Noſtrorum autẽ hominum uſu receptum eſt,ut ſaluator dicatur,Nulla(inquit idem Cicero ad Cæſarem)de uirtutibus tuis gratior,aut admirabilior miſericordia : homines enim nulla re ad Deos propius accedunt,quàm ſalutem hominibus dando. Nihil fortuna tua maius habet,quàm ut poſsis,nihil natura tua melius, quàm ut uelis conſeruare quamplurimos. Si Cæſar, qui bello ciuili uictor paucis ſalutem temporalem præbuit,tanto oratoris ore commendatur,ut etiam Diis proximum faceret: Quid Chriſto tribuendum,qui toto humano generi perpetuam contulit ſalutem, qui sãguine ſuo & cruciatu à peccatis,a Diaboli laqueis expediuit,et cœleſti regno idoneos fecit?Soteria,ideſt, ſaluatoria ſeu liberatoria celebramus hoc tempore,quo dominicæ paſsionis memoriam renouamus. Hoc celebri die,(quòd memorabile eſt,& nunquam obliuioni tradendum)uita noſtra initium,mors finem,ſeruitus libertatem inuenit. Mallem autem Euſebi, ut quæuis alia cauſa,quàm iſta,quam memoras, huc adduxiſset. Ego enim pondere tantæ rei fluctuo,ſed non ego modo, qui unus ſum de multis, Sed quæ tanta ingenii altitudo non ſtupore percutiatur,dũ cogitat, quòd origo rerum, & omnis naturæ author Deus,cuius potentiam trepidant infera, ſupera mirantur,deponens ſe de ſede maieſtatis ſuæ homo factus ſit.& inter homines conuerſatus fuerit Deus & homo,ſicut labiis ſuis ſæpius pronunciauit & teſtimonium reddidit,ei cœleſtis pater,& ipſe ſignis,& prodigiis plurimis, & præclariſsimis uirtutibus oſtendit. Qui etiam ante hac præſentiam ſuam, quam oſtendit in corpore, præcurſores & nuntios aduentus ſui præmiſit prophetas.Poſt aſcenſionem uerò ſuam in cœlos,diſcipulos ſuos rudes homines & indoctos, ſed ſpiritu ſancto repletos dimiſit in orbem terrarum, ut ex omnibus gentibus & nationibus piorum & fidelium hominum eccleſiam ſibi congregarent,& quam ita congregarunt, ut magna eſset credentium multitudo,& ita magna,ut aliquando omnes terrarum ſinus, omnes maris inſulas ſcopuloſque impleret. Sed hæc omnia admiratione ſui excedit, quod his die

bus

bus geſtum fuit, quòd ipſum uerbum patris, ipſa Dei ſapientia, ille denique omnium creator contriſtatus eſt, expauit, ea omnia, quæ inter homines indignisſima & aſperrima habentur, perpeſsus eſt: quæ & ſi ſapienter & certa ratione diuinæ prouidentiæ decreto inſtituta ſunt, & geſta fuerunt: nemo tamē tam ualida fluens dicendi copia inueniri poteſt, qui non modo abundè, ſed ne commodè quidem ualeat explicare: debilitari uidemus hodie potētiam, trepidare conſtantiam, contumeliis ueſtiri gloriam, uitam in mortem incurrere: ad hæc oculus meus turbatur, ueluti noctuæ ad inſolitam lucem, & conſiderans tam indigna paſsum eſse Dei filium ſalutis noſtræ cauſa flere magis libet, quàm dicere. Tu uerò Euſebi non contentus his quotidianis concionatoribus reconditiora etiam à me deſideras: quaſi uerò, ſi quid ſciam non ab iſtis ſciam, aut præſtare poſsim, quod ipſi nequeant, quin potius accedis cum iſtis adoleſcentibus ad illos, qui huic rei enixè operam dederunt, & nunc ueniunt parati: non enim uulgata tantum in uulgus proferunt, qualis eſt ipſius paſsionis hiſtoria, quam de euāgelio licet ſumere, ſed etiam ſæpius rara quædam excultis digna auribus. E V S. Eſt ut dicis: Veruntamen, ſi permittis, audire te mallem. Non ſi magna & ardua quædam proponuntur ad dicendum, ideò æquum eſt te ſubterfugere, ac non afferre id, quod potes: poteris autem (ut ego exiſtimo) præclara: quod ſi in difficilioribus fluctuare te dicas, uel ignorare, quis non tibi præbeat ueniam? multa ſunt, quæ humani ingenii anguſtia capere non poſsit: multa etiam, quæ pænitus latent. Itaque ſi ſuſcipis ſermonem, (quod facere debes) ut uel hos adoleſcentes erudiamus, in primis illud requiro, ſi tibi concionandum eſſet, quo utereris proœmio. MAR. A me id tu ſcire deſideras? qui non ſoleo ſubita & extemporanea uti locutione: ſed non niſi huc præmeditatus accedo: ſcis enim quantopere in celebrandis proœmiis oratores diligentes ſint. Veruntamen, ut tibi aliqua ex parte ſatisfaciam, referam tibi proœmium, quo uſus eſt me audiente Alexander Mediolanenſis Franciſcanus uir & ſanctus & multis litteris imbutus, & altius diſciplinas ingreſſus. E V S. Refer igitur, poſtquàm ita authorem commendas. M A R. Incœpit ad populum conuerſus ab illo prophetico dicto. Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra, ſed fluant oculi, lachrymæ ſint in genis, ſuſpiria & gemitus e pectoribus erumpant, tenetur, & uinctus ducitur, qui tenet, & ducit omnia: triſtatus eſt hodie, qui merentium eſt ſolatiū: coronatus ſpinis, qui flores germinat cæterorum coronis: iudicatur, qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos: ſitiuit, qui uenas aquarum fontibus miniſtrat: uulneratur, qui eſt ſalus: occiditur, qui eſt cunctorum uita: omnibus contumeliis oneratur denique is, à quo omnia honeſta tenemus. Nec commoueant uos eius uoces tantum, ſed ſilentium quoque: nam interrogatus à iudicibus ſæpe loco tacuit, & tacitus tulit quæcunque aduerſarii ſupplicia inferre uoluerunt, uoluerunt autem acerbiſsima. Cædebant Iudæi, cædebant milites, irridebant, conſpuebant, ſpinis coronabant, flagellabant, crucifigebant, nec

ullum unquam uerbum contra quenquam emiſit. Tantum autem abeſt, ut aduerſus populum peculiarem ſibi,à quo pro ſummis beneficiis ſummas iniurias patiebatur, querulis & contumelioſis uocibus uteretur, & aliquid exprobraret alicui, ut etiam pro eis in cruce ſtans oraret. Itaque de eo Pſaltes diuinus rectè uaticinatus eſt, dum inquit, Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt uanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Præclarè Eſaias de eodem hoc ſilentio loquens capite quinquageſimo tertio, ubi de hac paſsione pleniſsimè diſſeruit. Oblatus eſt, quia ipſe uoluit, & non aperuit os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Pauca tamen quædam iudicibus reſpondit, ſi quando neceſſe eſſet, ne hanc haberent cauſam iniuſtè iudicandi, & ne, ſi ſemper tacuiſſet, ſtultus aut ſuperbus putaretur. Hic quum parumper ille conſtitiſſet, & ingrediendum ſibi ad dominicæ paſsionis narrationem uideret, quàm id cunctanter facere viſus eſt? Quàm timidè? Quantam trepidationem uoce, uultu, ſpiritu oſtendit? Qui uerborum ductus? Si mortalium (inquit) in cauſis ueteres oratores trepidarunt ſæpius, & ſe non poſſe ſufficienter exponere profeſsi ſunt, Si quandoque exalbuerunt metu ueriti regum aut populorum conſpectum, Quid exiſtimandum eſt diuina hac in cauſa cœleſtium myſteriorum pleniſsima fieri poſſe? poteſt ne quiſquam opprobria, quæ ſaluator noſter ſuſtinuit: conuitia, quæ audiuit: flagella, quæ ſuſcepit: lacrymas, quas emiſit: ſanguinem, quem diſperſit: dolores demum omnes, quos animo & corpore ſuſtulit, idoneis & uerbis & ſententiis complecti? & ita dicere, ut quemadmodum re ipſa grauia, & acerba, & miſeranda fuere, ſic auditoribus uideantur? Et vt quiſpiam id poſsit, poterit ne infinitam charitatem: immenſam patientiam, profundiſſimam humilitatem oratione ſua demonſtrare? Mutus eſt omnis ſermo, ſi ad rem conferatur. Quid ergo faciam? Quo me flectam? Non inuocabo in auxilium muſas, ut olim poetæ, non Iouem optimum maximum, vt oratores: Sed ipſum verum Deum hunc ipſum vnigenitum Dei filium, in quo corporaliter habitat diuinitas. Ipſe eſt, qui pertulit, qui geſſit, ipſe eſt maximum & eminentiſſimum Dei uerbum, quod condidit omnia, quod ſtantia concutit, concuſſa dirigit, ipſe, qui linguas infantium eruditas facit & diſertas. Adſit igitur ille, prælucea t, faxque ſit fulgentiſſima ingenii noſtri: influat torrentis in morem, & miniſtret ea, quæ in hac acerbiſſima paſſionis ſuæ grauitate commemorare uelit, & ut me dicere, & uos audire oportet, ita dicantur ſingula, & audiantur: præſtet ipſe hoc nobis per immenſam eius miſericordiam, quam hodie humano generi oſtendit: per omnipotentem dexteram ſuam, quam confixit, per regiam coronam, cuius ſpinis diuinum eius caput terebratum eſt; per ſanctiſſimũ pectus, quod aperuit: per uenerabile deniq; hoc lignum crucis, quo mortalium cauſa immortalis ſe ipſum induit. Si ſine

tali

tali auxilio humana non poſſumus, quomodo diuina geſta dicemus? Iam magna me ſpes tenet nobis non defuturum illum pro eius ſolita clementia, meritis etiam veſtris adductum, qui tanto pietatis ſtudio exciti ad audiendum me frequentes conueniſtis. Hæc & his ſimilia plura quum dixiſſet Alexander & preces ad Deum conſuetas emiſiſſet. Deinde paulatim acceſsit, ut de ſuppliciorum multitudine, & magnitudine diſſereret, & eorum indignitate. Accuſatus eſt (inquit) duobus grauiſsimis & inuidioſiſsimis criminibus, læſæ maieſtatis humanæ & diuinæ, diuinæ quòd ſe Deum, humanæ quòd regem faceret, quorũ vnum uerũ erat, alterũ falſum, ſi de mundano regno intelligerent, quemadmodum intelligere videbantur. Dicebat de iniquitate teſtium, quorum non erant conuenientia teſtimonia, ut euangeliſta teſtatur, dicebat de turpi captura cum militum cohorte, cum fuſtibus & lanternis tãquam ad latronem nocturnum comprehendendum exiſſent. Dicebat de apoſtoli proditione & reliquorum fuga: & Petri abnegatione: dicebat de circũductione eius ad quatuor iudices iniquiſsimos omnes: commemorabat multiplices irriſiones, alapas, flagella, geſtationem crucis, crucem denique ipſam ſtillãtem cruore inter latrones mediam, & conſpectum miſerabilem de cruce matris, & propinquorum cariſsimorum, pectus mortui apertum cuſpide. Hæc tam dira, & acerba, quàm ſpontè ſubiit, oſtendebat. Noluit (inquit) euitare vincula capientium, flagella verberantium, ſputa contemnentium, ora conuiciantium, manus ſpinis coronantium, clauos crucifigentium. Quæ ratio iſtorum? Non enim impotens, aut ſtultus erat, quum omnis potentia & ſapientia ſit ab illo. Si quæramus ab eo, dicet ea perpeti uoluiſſe, vt populum ſuum à peccatis ſaluum faceret: Solus amor, quo homines proſequor, (inquit) hic affixit: ſolus manus meas in cruce expandit, ſolus ſpinis coronauit. En uulneratus amore langueo. Hæc & talia commemorans Alexander multis ipſe fluens lacrymis tantum in populo fletum concitauit, ut admirabile eſſet. Si ſaxis lacrymas dediſſes cum ſenſu vnà contemplandi & audiendi, ploratum eorum audiſſemus. Audiui alium inchoare ab alio prophetico ſermone: O uos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut meus. Hæc enim faciebat verba eſſe de cruce pendentis Chriſti. Inde eadem ferè de ſummis ac penè infinitis Chriſti pœnis, quæ ſuperius retuli Alexandrum memorare. Alius miſeratus virginem matrem de paſsione filii omnes coniecit in eundem luctum aſſumens initio illud ex Canticis. Quo abiit filius tuus dilectus O pulcherrima mulierum? Quo declinauit? Deinde proſecutus eſt ea, quæ paſsionis huius tempus ferebat, & notiſsima iam cunctis gentibus ſunt.

EVS. Tu ergo exiſtimas Chriſti paſsionem eſſe lugendam? MAR. Tibi non videtur? EVS. Noli putare interrogationem meam abſurdã eſſe: ſunt enim exorti nuper quidam, qui flendam pernegant, propterea quòd ea extulerit maximum & pulcherrimum fructum redemptionis noſtræ: ſtultum autem videtur de fœlicitate dolere: nam ſi fœlix ea culpa dicitur, quæ talem meruit

redemptorem, quanto ipſa redemptio fuerit fœlicior? Sed quid Chriſti verbo maius? Ipſe has lacrymas quæ humanitatis iure profundi videntur, de ſe prohibuit, dũ inquit. Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper uos, & filios veſtros. Hæc afferunt contradicentes luctuoſis, & his multi commouentur, quapropter à paucis annis vel nullus aut paruus in prædicatione dominicæ crucis fletus excitatur. Expecto hac de re iudicium tuum. M A R. Tu meum autem? & non conſideras debile eſſe & infirmum, quin ſequimur potius iudicium ſanctorum virorum, qui tantum duas cauſas faciunt ſummè probabiles lacrymarum, vnam peccatorum, alteram paſsionis huius, horum pleriq; adeò Chriſti crucem luxerũt, vt ferè oculos amiſerint. Sed hæc priuata iudicia. Quid vniuerſæ eccleſiæ authoritas nihil ne cõmouebit? quæ multis rebus ſigna doloris ſui dedit: nam per hoc omne quadrageſimale ieiuniũ cantus lætitiæ abiecit, & iſto die altaria nudat, ſacerdotes lugubribus induti aſsiſtunt ſacrificio illi cœleſti, atque diuino, idq; alio celebrãt more, ac antea conſueuerunt: ſilent tintinnabula ærea, non modo quæ in turribus ſunt magni ponderis, ſed etiam quæ parua in templis collocantur. Sed conſuetudinẽ Chriſtiani populi fuiſſe lugendi iſto die illud indicat, quòd pontificiis decretis cautum eſt, quod etiam ſeruari videmus, ut Iudæi abdant ſe in eorum ædibus clauſis etiam feneſtris, quæ in vias ferunt, ne irrideant Chriſtianos, ſicut ſolebant, affligantes ſe propter mortem Saluatoris. Audiamus etiam Apoſtolum gloriãtem ſe ſtigmata in corpore ſuo ferre pro nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Et quid dicam de Diuo Franciſco minoritarum patre, & de beata Catherina Senenſi, qui duo impetrarunt ſtigmata imprimi ſibi his locis, quibus Chriſtus in cruce paſſus eſt, quod magnis uitæ meritis fuit tributum: cæteris pluribus idem cupientibus minimè conceſſum fuit. cupiunt ſancti uiri crucis veſtigiis inſiſtere, & in pœnis dominum comitari, ut ſint vnus ſpiritus cum eo. Quòd ſi ſtigmata illa ſummi beneficii loco data & ſuſcepta credimus, & magnæ ſunt venerationi, non poteſt non eſſe pium, quod quis in dominica paſsione moleſtiæ ſponte ſumpſerit & doloris. At niſi fuiſſet illa paſſio, non ſequuta fuiſſet redemptio, & de redemptione lætãdum. Quid tum? An lugentibus Chriſti paſsionem non licebit etiam de fructu redemptionis lætari? Diuerſi ſunt affectus vel contrarii potius lætitiæ & doloris: attamen eadem de re ſuſcipi ſimul poſſunt intuitu diuerſorum, ſicut in adultera videmus muliere, quæ de adultero filium peperit, poteſt hæc eodem tempore & de adulterio dolere, & de prole lætari: præſertim ſi progrediente ætate filius erit probus, & matris mores non imitetur. Vides ſæpius iudices illacrymare pœnis reorum, quos iuſtè damnauerunt, lætari tamen, quod iuſtitiæ operam dant, & exemplo edito reliquos à ſceleribus arceant. Cogita Torquatum, qui filium edicto ſuo non obtemperantem ſecuri percuſsit. An non putas eum doluiſſe in morte filii? Lætabatur tamen in ſupplicio, quantum ego ſentio: quòd illo facto grauiſsimo in bello militarem diſciplinam, & reipubli

cæ

cæ ſtatum firmaret. Quid dicam nunc de ſanctis uiris? Illi non cæteris modo temporibus, ſed etiam, dum lugent, lætantur. perpetuum eorum pectora occupat gaudium ſpe maximi & æterni illius gaudii, quod cœleſti in regno piis omnibus ſeruatur. Hinc etiam legimus: Gaudentes ibant Apoſtoli, quòd digni habiti fuiſsent pro nomine Ieſu contumeliam pati. Tu in epulis fortaſſe tantum & roſis ponis gaudium, quod illi in ſuppliciis ponebant. Audis Apoſtolum dicentem. Si conſortes paſsionis erimus, erimus & cõſolationis: loquebatur ille (ut opinor) de conſolatione illa cœleſti, & alio loco idem Apoſtolus inquit. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Sed hoc etiam conſolatur viros fortes, quòd rem magni animi ſummi conſilii gerunt, dum honeſtatis ſtudio, & tuendæ iuſtitiæ cauſa nullum nec diſcrimen nec ſupplicium recuſant. Dixi de ſanctis viris. Quid de pœnitentibus? Nonne Auguſtinus ait pœnitentes de peccatis dolere, & de dolore gaudere: Et ut propiori exemplo agam: Si quis memoria repetens amicum exuſtum, & laceratum fuiſſe in aliqua parte corporis ſub medicorum manu doleat de dolore, quem ille tulerit: nonne poterit lætari de eiſdem doloris morſibus ob ſalutem totius corporis, quam per hos uidet conſequutam fuiſse: diſplicet dolor, quia dolor eſt, placet tamen ex alia parte: quia (ut aiunt) dolor eſt medicina doloris. Hæc dixi, ut intelligas luctum cum gaudio poſse miſceri, atque ita ſi doleat quiſpiam de dominica paſsione, non ideò fieri, quin etiam poſsit de redemptione, quæ per eam nobis obtigit, gaudere. Dolere inquam poteſt, quòd Chriſtus fidelium caput fuerit acriter laceratum: Gaudere quòd propter illam lacerationem totum humani generis corpus incolume à peccato tãquam à morbo euaſerit. Ecce (inquit Eſaias) iuſtus perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo: Quòd ſi uitio datur ei, qui uidens iuſtum indignè perire non commouetur: Cur contra officium ſit, ac non potius ſecundum omnem pietatem Chriſtum in tormentis poſitum lugere? Quis enim illo iuſtior? Aut quis tractatus fuit acerbius? Mœſticiam autem diſcipulorum Chriſtus de prædictione mortis non improbat, ſed mitigat fructum proponens mortis ſuæ, & glorificationem ex ea uenturam: non dixit, nolite mœſti eſse, nolite flere, ſed dixit, nolite turbari, nec formidare, non relinquam uos orphanos: ueniam ad uos, & ſpiritum paraclетum mittam uobis, qui uos docebit omnia, & multa alia proſequitur his ſimilia ſummæ conſolationis plena. Quinimo prædicit illis, quòd de morte eius afficientur triſtitia, nundus autem gaudebit: Sed triſtitia (inquit) ueſtra uertetur in gaudium: ergo, ſi fuerunt diſcipuli de morte domini triſtes, nobis imputabitur, ac non potius pietati adſcribetur, ſi ſimiles illis fuerimus in luctus ſocietate? Confugiunt iſti lacrymas cohibentes ad Chriſtum. Ipſe dixit. filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper uos & filios ueſtros. At lacrymæ illæ humanitatis iure (ut tu quoque dicebas) fundebãtur. Videbant

mulieres Iudæorum hominem lacerum & afflictum, crucem etiam ſibi ſuis humeris baiulantem, quo maior ineſset dolor, ſi ſibi ipſi ſupplicii ſui inſtrumentum ferret. hinc illæ lacrymæ, ut eſt hoc hominum genus ad lacrymas pronum. Iſtis autem uerbis non improbat Saluator (quantum ego ſentio) fletum mulierum, quem illæ miſericordia ſuppliciorum eius captæ fundebant: ſed oſtendit maiorem illis fletum reſtare: admonet de Dei ira, quam de infanda morte eius non multo poſt conſequi erat neceſse, qua magnificentiſsima illa ciuitas, & opulentiſsima afflicta eſt, & funditus euerſa, prædicit prophetico more uentura mala, & mala quidem ingentia: perinde ac ſi diceret, O quid agitis mulieres, fletis me ipſum: Ecce uenient dies, in quibus dicatis: Beatæ ſteriles & uentres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactauerunt, & dicetis montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Quam ob rem iubeo, ut non me ipſum, ſed uos & filios ueſtros lugeatis: Natura enim affert, ut quis prius & acrius de ſuis malis, quàm alienis doleat: non improbat Chriſtus lacrymas, quæ ſibi humanitatis iure funduntur, eas tamen magis accipit, quæ iudicio ſuſcipiuntur cogitantibus, quòd innocens æternaque perſona ſe ultrò ſuppliciis obtulerit, & tot tantoſque tulerit cruciatus noſtri cauſa, quibus illa magis debebantur. Nos enim peccamus, & ſorde originis óbliti eramus. Ille peccatum non fecerat, nec etiam peccato originis tenebatur, ut qui de uirgine natus eſset: attamen tanta illum charitas humani generis rapuit, quòd licet in illa perſonarum trinitate æqualis eſset patri, huc deſcendere uoluerit, ut daret ſeſe in mortem, mortem autem crucis: non leui plaga ſed profluuio ſanguinis culpam noſtram ablutam uidemus. Itaque hæ lacrymæ, quæ ſic offeruntur, magni ſunt meriti, magno amoris ſtudio, magnaque ratione profuſæ: alias, quæ pro alienis malis profunduntur, natura quodammodo cogit emittere, niſi quis malo more ferus & truculentus euaſerit. Hinc ille orans dicebat penes ſummum poetam noſtrum ad Priamum regem.

*Miſerere laborum*

*Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.*

EVS. Placet mihi hæc tua ſententia, qua oſtendis Chriſtum, & ſi dixerit, nolite flere ſuper me, ſed ſuper uos & filios ueſtros, non improbaſse fletum mulierum humanitatis iure emiſsum, ſed eas maioris fletus illis impendentis admonuiſse, ueluti ſi cernens ego amicum multis curis & negotiis implicitum, is autem mihi offerat operam in aliqua re mea, & dicam illi, noli pro me laborare, ſed pro te: his ego uerbis non laborem eius reiicio, Sed oſtendo illi magis opus eſſe labore ſuo, quàm mihi. Similiter Chriſtus illis uerbis iubens mulieres non pro ſe flere, ſed pro ſe ipſis & filiis, non improbat fletum illum ſed indicat maiorem ſibi ipſis imminere. Hæc faciunt, ut tibi ualde aſſentiar. MAR. Quid? nonne hoc pariter mihi aſsentiris? EVS. Quid nam hoc? MAR. Chriſtum ſcilicet hac in re ingentem charitatem oſtendiſse. EVS. Ob redemptionem ſcilicet noſtram. MAR. Imò etiam ob aliud. An non putas

tas

tas Chriſtum tunc magnis doloribus & pœnis affectum fuiſse? E V S. Puto equidem. M A R. Et tamen non tam de ſuis, quàm de alienis malis uidetur ſolicitus fuiſse,& hoc dico magnæ charitatis argumentum eſse: nam oſtendit, quòd dum in humanis ageret, eum pigebat malorum etiam externorum quæ nobis ob peccata contingunt: ſiquidem, quum uidiſset mulieres ipſum lugentes, conuerſus ad eas dixit ea, quæ ſuperius retulimus. Credo tunc in mentem ueniſse illi Hieroſolymæ euerſionem,& animo miſeratum eam defleuiſse: nam quinto quoque ante die, quam deſcenderet de monte Olįueti, & propinquaſset Hieroſolymæ, multa turba comitante in ramis palmarum, fleuit ſuper eam eo, quod futurum erat, ut inimici eam uallo circundarent, & undique coarctarent,& ad terram unà cum ciuibus proſternerent, & non relinquerent lapidem ſuper lapidem,& addit cauſam, quia non cognouiſſet tempus uiſitationis ſuæ id eſt, quòd non recepiſsent eum ut filium Dei,& in eum crederent, imò interficiendum curarent,& interficerent. Nec uidetur mirum audire, quòd Chriſtus fleuerit: nam quum reliquas beatitudines ab eo in monte dictas exemplo ſuo firmarit, hanc quoque lugendi uoluit implere: dixerat enim, Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Qua propter, quum Chriſtus de hominum doloribus doluerit ſæpius, ut de hoc ipſo Hieroſolymæ excidio,& in Lazari morte,& in multorum languoribus, quos miſericordia motus de corporibus eiiciebat: Cur non homines inuicem de Chriſti doloribus dolere debemus? Chriſtiani primis eccleſiæ temporibus ſexto hebdomadæ die, quem Veneris uocamus, ieiunia ducebant, quaſi eo die, quo paſsus eſt Chriſtus, oporteret nos ſecum collaborare: idque hodie in monaſteriis ſeruatur: poſterius autem creſcente iam eccleſia populus ſibi plus permiſit ut à carnibus tantum abſtineret nulla ieiunii habita ratione: dominico autem die, qui antea Solis nuncupabatur, quo Chriſtus reſurrexit ieiunare fas non eſt, quia is dies erat lætitiæ. Et quiſquam his cognitis audebit dicere paſsionem Chriſti ſine aliquo dolore præteriri oportere? ob quam maiores noſtri eo hebdomadæ die, quo facta eſt, corpora ieiunio caſtiganda eſse cenſuerunt. Flebilem negabunt humana pectora Chriſti eſse mortem, quam & mundus ipſe,& ſydera,& elementa,& ſenſu carentia ſaxa fleuerũt? Miſericordia omnino ſemper fuit probabilis in aliorum malis. Hinc ad Romanos Apoſtolus inquit flendum eſse cum flentibus. Sed in Chriſti paſsione illud eiuſdem Apoſtoli ad Corinthios ſeruandum eſt, ut ſimus flentes, quaſi non flentes, id eſt, ut luctui lætitiam miſceamus. Vtrunque prophetarum ore prædictum eſt & de luctu & lætitia, De luctu illud eſt, quod habetur Zachariæ duodecimo capite. Aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent ſuper eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti. Quidam etiam illud ad hoc flectunt. Angeli pacis amarè flebant: Credo Angelorum nomine pios omnes intellexiſse. Vis modo de lætitia audire. Perge ad Eſaiam cap. 25. Ecce Deus noſter, expectauimus

uimus eum,& exultabimus,& lætabimur in ſalutari eius. Huc etiam pertinet illud eiuſdem Eſaiæ quinquageſimo ſecundo capite. Gaudete, & laudate ſimul deſerta Hieruſalem,quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Hieruſalem. Affert hæc paſsio plauſum & planctum. Plauſum ex redemptione noſtra: Planctum ex redemptoris doloribus. Sed ut planctum omittam,quis Chriſtiani nomine dignus his ſacris diebus non amplius, quàm ſolet,pietatem colat,modeſtiam exhibeat, grauitatem induat, a concupiſcentiis abſtineat,ut Chriſto quodammodo compati uideatur? Terra propter paſsionem Chriſti mota eſt,petræ ſciſsæ ſunt, & qui mortui fuerant, monumentis apertis reſurrexerunt: nos ferro duriora geſtamus pectora, ſi iidem manemus,qui prius fuimus:ac non paſsionem hanc Chriſti meditantes, quæ pro delictis noſtris obtigit,non ad delictorum noſtrorum pœnitentiam prouocemur? Quam ob rem hortor ego uos Mariane & Pauline, (dirigo nunc ad utrumque ſermonem meum,Euſebio hæc ſatis nota ſunt)hortor inquam, ut memoriam paſsionis huius fœlicibus lacrymis proſequamini: nec, ſi has lacrymas ueſtras quiſpiam irriſerit, moleſtè feratis: teſtes enim hæ fuerint grati animi ueſtri,& indicia pietatis. Moueant uos redemptoris uulnera tam amanter ſuſcepta,moueat tāta illa maieſtate indigniſsimè illata nex, moueat frequentia peccatorum noſtrorum,quibus peſſundati fuiſsemus,niſi hic ſubueniſset. Solebat Bonifacius monachus,quem noſti ſanctiſsimum & doctiſſimum uirum, dicere hodierna die necatum à Iudæis redemptorem Iſrael, quem illi Meſſiam,nos Chriſtum dicimus;eum,qui & homo fuerat,& legifer & propheta,& ſacerdos,& rex,& Deus. Hæc enim omnia concurrere oportebat in eo,qui ut Chriſtus ad redemptionem ueniret,& potenter concurrerunt. Fuit enim in primis homo: de hoc dixit Paulus Apoſtolus,quòd quum in forma Dei eſset,exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens ad ſimilitudinem hominum habitu inuentus ut homo: quoniam talis inuentus eſt, ideò in eum perfidia Iudæorum irruere potuit:nam niſi homo fuiſset, teneri duci,ligari,percuti,necari non potuiſset:& conueniebat,ut quemadmodum per unum hominem mors introiit in orbem terrarum, ſic per alterum ſalus daretur,nec poterat æterna Dei ſapientia exempla uiuendi propius dare, quàm ſi hominem ſuſcepiſſet, quia & hi, quibus ea parabantur, homines erant. Illud quidem notum,quòd Chriſtus de ſe ipſo loquens filium hominis ſe nuncupabat,ut quum interrogat diſcipulos. quem dicunt homines eſſe filium hominis: & hoc paſsionis tempore: Filius hominis uadit, ſicut ſcriptum eſt de eo,& alibi ſæpè in euangelio. Credo ideo ſe filium hominis frequenter nuncupaſſe,ne filius tantum Dei putaretur, ſed utramque naturam ſuſtinere. Forſitan oſtendere uoluit ſe eſſe illum,quem Daniel in ſpiritu prophetico,ubi agit de libris apertis, uidit tanquam filium hominis aſtare, & uſquè ad uetuſtum dierum perueniſſe, & ei principatū & omnium gentium imperium eſſe datum in æternum. Legifer,nam noua præcepta, nouā legem.

dedit,

dedit, magnum illud, quod ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ inſtituit, circuncisionem & ſacrificia ueteris legis euacuauit: vmbraſque illas omnes & figuras ueritate inducta, & luce inſolita demonſtrata aboleuit. Itaque apud Eſaiam legitur. Dominus iudex noſter, dominus legifer noſter, dominus rex noſter: Ipſe ſaluabit nos. Idem quoque propheta fuit, qui & de paſsione ſua, deque gentium in diſcipulos odio, earumque morte, & de Hieroſolymæ exitio, & de mundi fine uaticinatus eſt, & prophetarum more mirabilium operum effector fuit: quamuis non ut alii inuocato Dei nomine, ſed propria eius diuina uirtute efficeret. Eum quoque turbæ, tum ob hæc ipſa miracula, tum ob uitæ ſanctimoniam, & ueritatis prædicationem (ſicut in euāgelio legitur) ut prophetam habebant. Non prætereo etiam, & ſi id longè minus ſit, quòd colloquens mulieri Samaritanæ, quum ei annunciaſſet occultiora quædam, compulſa eſt dicere Domine (ut uideo) propheta es tu. Sequitur de ſacerdote. At ne de hoc dubitandum quidem, quin ſacerdos fuerit non modo nouæ legis, quam ipſe inſtituit, ſed etiam ueteris, quam à patribus accepit: nam legitur in euangelio Lucæ eum in Synagoga Nazareth vaticinium quoddam Eſaiæ legiſse, & de ſe illud ſcriptum dixiſse, quòd niſi ſacerdos ſecundum eorum inſtituta extitiſset, nequaquam ſibi illa lectio in conuentu illo permitteretur. Sed ne aliquis dicat id eſse ambiguum, illud quidem certum ſacerdotem nouæ legis fuiſse, hic eſt ille, de quo dictum fuit per prophetam. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Conſtat autem Melchiſedech Salem regem ſacerdotem Dei altiſsimi ſolitum eſse panem & uinum in ſacrificium offerre. Sic Chriſtus inſtituit ſacrificium ſui corporis & ſanguinis ſub panis & uini ſpecie celebrandum, & ut ſacerdos obtulit ſe ut uictimam in ara crucis pro peccatis noſtris, ut iram Dei patris aduerſus humanum genus conceptam deliniret, noſque flebiles lætificaret. De hoc etiam apud Zachariam legitur. Vidi Ieſum ſacerdotem magnum ſtanten inductum ueſtimentis ſordidis. Hic nominatim etiam eſt appellatus, ut de quo loquatur propheta, dubitari non poſsit. At non ſacerdos ille quidem, ſed pontifex etiam fuit, ideſt ſacerdotum princeps, ſicut Paulus ad Hebræos pluribus locis indicat. Et de ſacerdote quidem hactenus. Rex uero quomodo? Quis mihi diuitias regis huius narrabit? Exiſtimo has regis eſse diuitias iuſtitiam, charitatem, hominum ſalutem: his Chriſtus rex noſter abundauit: dicat Zacharias propheta, qui id optimè nouit. Ecce rex tuus (inquit) tibi ueniet iuſtus, & ſaluator, ipſe pauper aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ: & in pſalmo ſecundo. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. Et ut intelligatur loqui de filio ſequitur. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui te: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſseſsionem tuam terminos terræ. Nemo enim Chriſto inter gentes latius regnauit, adeò ut eius imperium, uſque ad ultima terrarum protenderetur, Sed mox de rege plura. Extremum eſt

ipſum

ipſum fuiſse Deum, in quo nobis omne certamen eſt cum Iudæis aſserentibus Meſsiam, quem expectando expectant, hominem tantum futurum, non autem Deum ad opus redemptionis aſsumpta humana carne ſe exhibiturum. Contradicimus nos, & conamur ipſos ex eorum libris reuincere: adducuntur innumera ſcripturarum loca, in quibus Deus ſaluator & redemptor uocatur, & quod non eſt ſalus abſque Deo. Illud etiam Eſaiæ trigeſimo quinto capite profertur. Ecce Deus ueſter ultionem adducet retributionis. Deus ipſe ueniet, & ſaluabit uos. Veniet (inquit) quo? nam quum Deus immenſitate ſua ubique ſit præſens, & omnia impleat loca, unde recedet, & quo ibit? Itaque ſic dictum eſt, ueniet, quòd ex incorporali natura transeat ad corporalem, priorem non deſerens, ſed aſsumens nouam, & hoc eius manifeſtatio ſub inſolita ſpecie aduentus uocatur. Idem Eſaias alio loco proſpiciens in Meſsiæ natiuitatem Dei etiam nomen illi tribuit, ideſt. Paruulus (inquit) natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Illud etiam pſalmographi. Videbitur Deus deorum in Sion. Et illud Leuitici ex perſona Dei prolatum. Ambulabo in medio eorum, oſtendit præſentiam Dei corporalem. Sed qui teſtimonium Baruch præterire poſſum? Hic eſt (inquit) Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem uiam ſapientiæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo. Poſt hæc in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Quid clarius his uerbis? Quid planius? Quid euidentius dici poteſt? Nam ſi Deus in ſe ipſo manens uidere oculis non poteſt, neceſſe eſt, quod naturam noſtram aſsumpſerit, quod etiam illud uerbum conuerſationis oſtendit: nam conuerſari propriè eſt inter eos, qui eiuſdem generis ſunt & naturæ. Eſt quidem hoc clarum ſcripturæ teſtimonium, quò etiam pertinet, quod Iob protulit. Et ex carne mea uidebo Deum ſaluatorem meum, non enim uidebit ex carne ſua, niſi & ille carnem fuerit indutus. Me tamen præter cætera illud delectat, quod Pſaltes cecinit diuinus in pſalmo, cuius caput eſt: Eructauit cor meum uerbum bonum, dico ego opera mea regi. Quis eſt iſte rex, cui propheta dicit ſe ſua dicare opera: Is profectò de omnium conſenſu eſt Meſsias: totus ille pſalmus reſonat in eius laudem, & Deum ipſum appellat, & regem, & hominem. Audiamus quæſo carmina. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, uirga directionis, uirga regni tui. Hic apertiſsimè propheta conuerſo ad Meſsiam ſermone uocat Deum, ut tergiuerſationi non ſit locus: ſedem etiam ei tribuit, & ſceptrum. An non tibi uidetur propheta his inſignibus regem pinxiſse? At in rege requiritur unctio, ne hoc quidem defuit: ſequitur enim. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: hæc enim ad regem propriè pertinent, & nulli magis conueniunt, quàm Chriſto, in quo ne peccati quidem umbra potuit conſiſtere. Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Deus pater, Deus ſpiritus unxit eum

oleo

oleo lætitiæ plus, quàm cæteros homines: quo ſermone oſtendit eum hominem fuiſse propter humanæ naturæ conſortium. Vnxit autem Deus nõ oleo corporali, ſed ſpiritali, quæ unctio Deo conuenit, qui ſpiritus eſt. Itaque aſſumens eius perſonam Eſaias prædixit. Spiritus domini ſuper me eo, quòd unxerit dominus me. Et ne intelligeretur huc miſsum, ut hominum more regnaret, ſequitur. Ad annunciandum manſuetis miſit, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiã, & clauſis apertionem: hæc enim opera fuerunt Chriſti, dum inter homines uerſatus eſt, & de ſe ipſo illa ſcripta ab Eſaia ipſe, dum illud uaticinium in ſynagoga legeret in patria eius Nazareth, teſtatus eſt, ut Lucas capite quarto Euangelii ſui oſtendit. Omnino, ſi quæris, rex fuit: ſed ut Micheæ uaticinium habet, cuius uerba ſuperius retuli, rex pauper, ne quis audiens regem nominari diuitias terrenas expectaret. Ipſum etiam nomen regem fuiſse indicat, ſiquidem Meſsiam fuiſse conceditur: Meſsias enim hebraicè eſt Latinis unctus, Græcis Chriſtus, quo uocabulo magis utimur. Iudæi autem hoc nomine reges ſuos nuncupabant, quòd in adoptione regni ungi ſolerent. Titulus etiam dominicæ crucis regem fuiſse declarat: nam ſupraſcriptum erat, Rex Iudæorum, quem titulum, quum multi Hebræorum legiſsent, petierunt à Pilato, ut mutaret, quod diuino inſtinctus ſpiritu noluit, ſed audierunt. Quod ſcripſi, ſcripſi. At non modo moriens regis meruit nomen, ſed naſcens quoque. Noſti illud, ubi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Regnum in homines nunquam uiuens exercuit: nec appetiuit quidem: Quin quum turba quorundam hominum ſectantium regem creare uellet, ne id fieret, in ſolitudinem conceſsit. Regnum eius uidetur, quoad inter homines egit, mundanum non fuiſse, ut ipſe Pilato reſpondit, ſed cœleſte in miraculis faciendis, & in populis inſtituendis, ueritateque prædicanda. Poſt reſurrectionem autem, & ad cœlos aſcenſionem regio uſus iure hæreticos & infideles deiecit, & omnes tandem gentes, omnia regna ſibi ad pedes proſtrauit, adeo quod crux, quæ olim erat ſupplicium, nunc ſit uenerabile ſignum ingenuorum, ut regum etiam frontibus imprimatur. Petrus autem in prima epiſtola Ieſum uocat paſtorem, & epiſcopum animarum noſtrarum. Et de his quidem hactenus aduerſus Iudæos, qui Chriſtum eſse Deum non crediderunt, imo ob eam potiſsimum cauſam crucifixiſse aſseuerarunt, quòd Deum ille ſe prædicaret. Eadem impietas fuit in Porphyrio, qui diſcipulos increpat, quòd Chriſto diuinitatem adſcripſerint, quam ille ſibi ipſi uiuens nunquam uendicarit. At ſi fictum id fuiſset, quomodo eouſque res euaſit, ut deinceps à toto orbe crederetur? Omnia enim ficta & ſimulata cito decidunt, ueritas etiam uetuſtate corroboratur. Tu ne uero Porphyri auſus es id nomen Chriſto detrahere, quod igni & ferro tentatum permanſit, quod omnem philoſophicam ſapientiam, omnem mundanam potentiam ſibi ſubiecit? Nec uides eos (quicunque fuerunt, qui diuinæ naturæ particulam ſibi aliquam aſciuerunt) irritos, & irriſos fuiſse, & adulationem non ue-

nerationem meruiſſe. Non enim tales erant, quales uideri ſtultè cupiebant, & fruſtra affectabant: hunc autem unum Ieſum, qui Chriſtus cognominatus eſt, non hominem tantum, ſed etiam eſſe Deum nulla re à Deo patre niſi origine differentem mortalium omnium conſenſus recepit, idque non imperio, non opibus, non gratiæ, ſed ueritati datum, quam ſacer Dei ſpiritus in hominum pectoribus infundebat. Et hæc quidem ſic habent. Vellem audiſſes Bonifacium de his ſex nominibus, quæ in redemptore dicimus conueniſſe, diſſerentem. Diximus enim eum & hominem & legislatorem, & prophetam, & ſacerdotem, & regem, & Deum extitiſſe. Illa autem ita de his diſſerebat, ut nihil fieri poſſet accuratius. Quæ uox eius? Qui ſpiritus? Quæ dicendi copia? Præclarum illud, quòd ubi unumquodque nomen tractabat, ſubiiciebat ſingulis ſcripturarum teſtimonia, quæ de illo nomine loquerentur: ueluti, quum Chriſtum hominem fuiſſe diceret, hic ſacras adducebat literas his in locis omnibus, ubi hominem fuiſſe oſtenderetur. Et de reliquis quinque nominibus faciebat ſimiliter, ita ut memoriam non mediocriter admirarer, prudentiamque hominis & diſciplinam plurimum commendarem: ego autem rudis ſum horum, & expono ea, quomodo poſſum. Sed ut ad rem redeam, & oſtendam paſſionem Chriſti miſeratione digniſſimam, illud in mentem ueniat, quòd ſi Chriſtus homo duntaxat fuiſſet, nec ſic quidem homines in alium hominem præſertim innocentem ſæuire oportebat. Sed ille plures dignitatum & officiorum titulos poſſidebat, in quibus illud maximum, quòd Deus erat: manum igitur in eum iniicere temerarium fuiſſet. Quid ducere, irridere, cædere, necare? Quàm nepharium hoc Iudæis? Luctuoſum bonis omnibus? Chriſto ipſi amarum? amarum dico humanis eius ſenſibus: nam charitas, quæ illum induxerat, ut ſic pateretur, dulcia facit omnia. Hinc eccleſia de Stephano protomartyre canit. Dulces illi lapides torrentis fuerunt. Non omitto etiam aliam Bonifacii præclariſſimam elocutionem: ſcis quæcunque in dominica interuenerunt paſſione, prophetarum antea uocibus fuiſſe prædicata, nec id tantum, ſed etiam ueteri in lege geſtorum imaginibus quibuſdam & figuris prænotata fuiſſe. Hic Bonifacius uaticinia prophetarum, & geſtorũ figuras ſingulis ſuis locis reddebat: ita ut in dominica paſſione nihil temere, nihil fortuito occurriſſe, ſed cuncta iam antea prædicata, & ſignata fuiſſe appareat. EVS. Audiui paſſionem hanc Chriſti acerrimam omnium & doloroſiſſimam (ut ſic loquar) extitiſſe. MAR. Vera audiſti: ideò quo dolentior fuit, eo maior debet eſſe miſeratio. EVS. Rationem huius ſententiæ reddas uelim: nam & ſi hac de re dictum eſt aliquid antea, tamen diffuſius explicandum cenſeo. MAR. Trahis me ad rhetorum ſtudia, & diſciplinam, quæ iam me dimiſiſſe arbitrabar: nunc ea me reuocare cogis: aut minus tibi ſatisfecero. EVS. Quomodo id ais? Non enim intelligo. MAR. Non intelligis, homo tam eruditus & ſtudioſus? EVS. Minime. MAR. Rhetores ad miſericordiam captandam certos tradunt locos, quos inſe-

inſerere oportet in orationibus, quum pro reis dicendum eſt: maximè autem id faciendum cenſent in perorando. Tenes ne? EVS. Teneo. Sed quorſum hoc? MAR. Quia dico omnes locos Chriſtum in paſsione ſua impleuiſſe, & plures etiam, quàm illi inuenerint. EVS. Gratiſsimum feceris, ſi hoc explicare uolueris: ita enim uidebimus, quomodo iſti uiro (ſi modo uir dicendus eſt) aptentur. MAR. Loci ad commouendam miſericordiam in paſſione alicuius poſſunt eſſe plures, quos omnes commemorare, & dicendo tractare oportet: quia quo duriora quiſque patitur ſe ipſo indigna, eo maior miſericordia commouetur. Sumuntur autem hi loci à perſona patientis, ab his, quorum conſilio & opera paſſus eſt, ab accuſatione, à teſtibus, à multitudine plagarum, à grauitate earundem, à continuatione tormentorum, à corporis ſenſibus, ab irriſionibus, ab opprobriis, ab innocentia, à defenſionis reiectione, à ſolitudine, ab amicorum fuga, ab inimicorum exultatione, à mœſtitia propinquorũ, à loco, à tempore, ab ætate patientis, ab honoribus prius habitis, ab inſolitis doloribus, à paſsionis fruſtratione. Hæc & his ſimilia, quæ ſingula poſſent miſericordiam commouere, dico in Chriſto omnia concurriſſe, ideò acerbiſsimam paſsionum fuiſſe, & omnium miſeratione digniſsimam: hæc dico, nec tibi arbitror aliter uideri. EVS. Te in aceruum uideo conieciſſe omnia, ſed explicandus tibi hic fuerit aceruus, & eundum per ſingula, & declaranda in his, quæ propoſuiſti, paſsionis huius durities: Sic enim aſſenſum meum, quem commouiſti, confirmaueris, & retinebis. MAR. Faciam, ut te uelle uideo. Sed ne nimis longum ſit. EVS. Non erit. MAR. Dixi ſuperius locos eſſe plures ad miſericordiam cõmouendam, eos omnes ad Chriſti paſsionem, ſi quis adduxerit, uerè id facere poſſet, quoniam acerbiſsima fuit paſsionum omnium. Et primò ducitur locus à perſona patientis: hoc iam dictum eſt, non ſolum enim ſupplicia illata ei, qui homo eſſet, ſed & qui legiſlator erat, & propheta, & ſacerdos, & Rex. At exigua hæc in illo fuerunt, paruus legifer, modicus propheta, uilis ſacerdos, impotens rex: Imo in omnibus harum dignitatum officiis ſummus erat & excellens: Sanctitate & doctrina illuſtris, & miraculis glorioſus, demum, quod caput eſt, Deus erat. Quæres forſitan, utrum dici poſsit Deum eſſe paſſum. Inuitat nos ad hanc locutionem Apoſtolus, qui dominum gloriæ à Iudæis dixit crucifixum, quod ita tamen accipiendum, ut intelligatur Deus nihil paſſus in ſe ipſo (non enim cadere poteſt in illam æternam naturam paſsio) ſed in homine, quem aſſumpſit tanta firmitate, ut indiſſolubilis ſit nexus, & tam perfecta coniunctione, ut aſſumenti nihil deſit humanum, & aſſumpto nihil deſit diuinum: hæc tanta copula efficit, ut ſermo iſte ſit uerus, patitur Deus, id eſt, is homo, qui pariter eſt Deus. Vel aliter dici poteſt theologorum noſtrorum more. Si inſpicimus unam Dei & hominis perſonam, Deus crucifixus eſt, ſin geminam naturam, nequaquam: quia in humana pati potuit, non in diuina. Et ut breuiter dicam, fides noſtra id habet Deum hominem eſſe mortuum:

nam hominem tantùm mortuum credere, cuius uirtutis eſt? hoc etiam Iudæi crediderunt. Mortuus eſt (inquit Auguſtinus) filius Dei, ſed ſecundum carnem mortuus eſt, non ſecundum id, quod erat uerbum æternum patris. Mortuus eſt, non unde fecit omnia, & homines facit, ſed unde manens Deus factus eſt homo: non enim Deus illi homini, quem aſſumpſit, diuinitatem ſuam communicauit: ſi enim hoc feciſſet, homo ille immortalis fuiſſet, & impaſsibilis: ſed non poteſt Deus naturam ſuam alteri communicare, potuit tamen aliud quippiam, quod non eſſet Deus ſibi adiungere. Cyrillus autem dici poſſe cenſet decenter unigenitum Dei filium non paſſum eſſe diuinè, ſed humanè. Bernardus non ſolum Iudæos crudeliſsimos exiſtimat homicidas, ſed etiam (ſi fas eſt dicere) Deicidas. Vt autem facilius, quod dico intelligatur, accidit perinde, ac ſi quis regis ueſtem, quam gerit, ſcindat, laceret, diſcerpat, non dicetur illa rex paſſus in proprio corpore, ſed in ueſte duntaxat. Similiter paſsus eſt Deus non in diuinitate, ſed in homine, quē ſibi adiunxerat: ſed eo tamen magis paſsus, quàm rex, quanto ille homo magis adiunctus erat, & maiori nexu diuinitati, quàm ueſtis regio corpori. Quo circa horror quandoque non iam luctus me occupat, inuentos eſſe homines, qui auſi fuerint Deum humana in carne pulſare: ſceleratiſsimum fuiſset, ſi uel tantummodo, quod etiam fecerunt, irriſiſsent. Et de loco quidem miſerationis, qui à perſona ducitur patientis, ſatis mediocriter dixiſse uideor. Ab his quorum conſilio & opera paſsus eſt. Magnum inurit dolorem perpeti extrema ab his ſupplicia, quos ſummis ipſe beneficiis affeceris: deteſtabilis enim ingratitudo, & perturbat non mediocriter mentem, quum uidet quis ſe lædi ab eo, qui auxiliari debebat. Chriſtus ad Iudæos ſaluandos uenerat: ægrotos eorum curauerat, leproſos mundauerat: dæmones ex humanis corporibus excuſserat, cæcis uiſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſsum reddiderat, mortuos ſuſcitarat, monita ſalutis dabat, iter ad cœleſte regnum oſtendebat, conſilia perfectionis aperiebat. Pro his benefactis cōuitia illi, opprobria, ſputa, colaphos, flagella, crucem denique, ut egregia munera retulerunt. At ante aduentum Chriſti, quantis Deus in ſua manens maieſtate beneficiis Iudæorum gentem proſecutus fuerit, quum de Aegypto eduxit, & ad terram uberem lacte & melle fluentem perduxit, ſatis eſt notum omnibus. Illi contraria omnia rependerunt, ſicut hodie ſacerdotes ex perſona Chriſti canunt. Popule meus quid feci tibi? aut quid moleſtus tibi fui? reſponde mihi. Verba ſunt hæc ex Michea propheta, quæ ualde ſunt conſideranda. Quid tibi feci? inquit dominus, imò quid pro te non feci? Prophetas miſi tibi, ut te à peccatis auerterent, & ad me conuerterent, lapidaſti. Veni ipſe, ut ſaluum facerem, & cœlorum regnum tibi patefacerem: ne tum quidem me ueritus es, qui affligeres, & ſummis pœnis afficeres. In quo moleſtus fui tibi? num moleſtus in eo, quod multus fui in ſcribarum, & phariſeorum uitiis detegendis, & reprehendendis? At beniuolentiam inde, non etiam odium

referre

referre debui: nam ſtultorum eſt ueritatem odiſſe. Omnis hæc tua ingratitu do felle eſt amarior, quod tu, ut oſtenderes, quantū in me eſſes amarus, ſitien ti mihi propinaſti, quaſi in eo referres mihi gratiam, quod quondam ſitientibus in deſerto patribus tuis ex amaris aquis ligno intus poſito dulces reddidi. Competit in iſtos Pacuuii Tragici poetæ ille uerſiculus, qui poſtea in Cæſaris interfectores miſerationis & inuidiæ gratia recitatus in theatro fuit.

*Men ſeruaſſe, ut eſſent, qui me perderent.*

Sunt (quod te minime latet) quatuor in retribuendo differentiæ. Aut enim mala pro malis, aut bona pro bonis, aut bona pro malis, aut pro bonis mala redduntur, his homines in retribuendo utuntur, quandoque nulla fit retributio in ſuſceptione ab altero bonorum, uel malorum, quod eſt hominum mediocriter bonorum uel malorum. At Iudæi pro ſuſceptis bonis ocioſi eſſe noluerunt. Sed hoc præterito ſuſcipientes id, quod eſt peſsimorum hominum, alteri pro benefactis malefacta ipſi retulerunt. Hoc quanto iniquius eſt, tanto acriorem patienti Chriſto inurere potuit dolorem, cogitanti in ſummis beneficiis ſummam præſto eſſe iniquitatem. Non uiſum eſt ſatis beneuolentiam animi non reddere, ſi opere non poterant, uel nolebant, illi etiam odium reddiderūt, nec id tantum, ſed etiam quæcunque odium gignere ſolent irriſiones, cōtumelias, ſupplicia. Augere dolorem poterat, quod non ab alienigenis & falſorum Deorum cultoribus affligebatur, ſed ab his, de quorum ſtirpe natus erat, & uerum Deum cognouerant. Hæc miſericordiam noſtram non leuiter acuere poſſent, dum ea ſubit cogitatio læſum fuiſſe dominum à domeſticis, ab his, quos ornarat, ſummiſque beneficiis extulerat. Ab accuſatione. Accuſabant non unus, aut alter de infima plebe, quod leuius eſſe potuiſſet, ſed principes ſacerdotum, ſcribæ, & ſeniores populi, qui inter Iudæos maxima pollebant auctoritate, & ſummos magiſtratus gerebant: accuſabant autem grauiſsimis, & inuidioſiſsimis criminibus iniquiſsime, diuinæ ſcilicet & humanæ maieſtatis, ut antea dictum fuit. A teſtibus. Comparati ſunt in eum teſtes, qui falſa dicerent, ut ex euangelio liquet. A multitudine plagarum. Alapam apud Annam ſuſcepit, colaphis in domo Caiphæ pontificis cæſus eſt. In Pilati prætorio ſpineam coronam induitur, flagellatur. In Caluario manus pedesque clauis ſuffigitur, ac ne mortuo quidem pepercerunt: nam lancea militari latus eius aperitur. Crebra etiam illa ueſtium mutatio in Herodis domo, in prætorio penes Pilatum, in Caluariæ iugo non potuit ſine moleſtia contingere in corpore præſertim affecto. A grauitate earundem. Cogita quem dolorem inducere ſecum potuit ſpinea corona capiti infixa, quæ fertur uſque ad cerebrum penetraſſe, flagella per omne corpus diuiſa, & repetita ſæpius, ut perhibetur, manus pedesq; clauis terebrati, quum hæc pars corporis ſit neruoſa admodum, & in neruis ſenſus doloris præcipuus ex diuiſione exiſtat: pendens autem in aere ſeipſum ſuſtinere in ligno ſine ſummo cruciatu non potuit. Coniectandum eſt etiam illum ex ſumma animæ nobilitate

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tate temperatiſsimo corpore fuiſſe,& uiuaciores ſenſus etiam habuiſſe: quicunque autem tali ſunt corporis habitu, hi maximè dolorem ſentiunt. A corporis ſenſibus. Omnes Chriſti ſenſus paſsi ſunt ualde triſtia, ſeu per eos anima illa ſanctiſsima. Oculi uidebant ſupplicia indigniſsimè illata: uiderunt ſub cruce mœſtum diſcipulum, qui diligebatur, mœſtiorem matrem, lugentemque materteram, uiderunt exultationem inimicorum, & alia multa dolenda, uelati etiam quandoque fuerunt ad irriſionem, ne percutientes ſcilicet uideret,& diuinaret. Aures impiam accuſationem, conuitia, irriſiones, clamorem aduerſum, iuſſa ſuperba, damnationem, & alia pleraque his ſimilia perceperunt. Nares etiam (ut quidam perhibent) tetrum odorem ſenſerunt de corruptis corporibus, quæ in Caluariæ humabantur. Guſtatus læſus in amaritudine potus oblati. Iam uerò tactus toto corpore diffuſus quot & quantas pertulit pœnas? caput ſpinas, facies ſputa, genæ colaphos, lingua fel & acetum, humeri cum collo crucis pondus, manus & pedes clauos, reliqua corporis membra flagella ſenſerunt, ita ut de eo merito illud propheticum dici queat. A planta pedis uſque ad uerticem non eſt inuenta in eo ſanitas. A continuatione tormentorum. Captus eſt ſecunda noctis uigilia, pernoctauit in Caiphæ Pontificis domo, mane oblatus eſt Pilato, hora nona expirauit: durauit per hoc omne tempus in tormentis, ita quòd nec mora, nec requies ulla interceſsit. Ab irriſionibus. Hæ fuerunt multiplices non ſolum uerbo, ſed etiam facto. Irriſus in domo Caiphæ tanquam pſeudo propheta, dum uelatis oculis manu in faciem percuteretur, & diceretur: prophetiza nobis Chriſte, quis te percuſsit. Irriſus quoque ab Herode & eius exercitu, quum indutus ueſte alba, quaſi ſtultus eſſet, ad Pilatum remiſſus eſt. Rurſus irriſus eſt in prætorio apud Pilatum, quum ueſte purpurea circundatus, ſpinis coronatus, arundinem manu tenens, ut rex ſalutabatur, arundine caput percutiebatur, tanquam regnum affectaſſet. Irriſus poſtremo in cruce à principibus ſacerdotum, ſcribis, & ſenioribus tanquàm falsò filium Dei ſe diceret: miracula etiam eius exagitata tanquam impotens eſſet tunc ea facere, nec diuina ea faceret poteſtate: unde illa ſunt. Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce,& credimus ei. Et confidit in Deo, liberet eum, ſi uult, quia dixit, filius Dei ſum. Et alios ſaluum fecit, ſe ipſum ſaluare non poteſt. Vah qui deſtruis templum Dei,& triduo reædificas illud. Si tu es rex Iudæorum, ſaluum te fac: & alter ex latronibus eum quoq; blaſphemabat eadem quoque ferè ratione. Si tu es Chriſtus, ſaluum fac te ipſum & nos. Hæ irriſiones & blaſphemiæ acuere poterant dolorem. Noli exiſtimare Euſebi paruum eſſe malum irriſiones, imo non eſt aliud quod fortes & magnanimi uiri minus ferre poſsint: mors facilius contemnitur, & ne externis utar exemplis, ſed his, quæ ex ſacris literis prodeunt, inter cætera mala quibus Aegyptii premebant Hebræos,& amaram eorum uitam reddebant, irriſiones commemorantur. Heliſeus, dum aſcenderet montem Bethel, & clamarent

rent pueri irridentes eum. Aſcende calue, aſcende calue, ultus eſt eos maledictione: ex quo cõſecutum eſt, ut urſorum lacerationem paterentur. Quid Saul rex fortiſsimus? Nonne, quum prælio fuſus eſſet à Philiſtæis, & fugeret, iuſsit armigerum ſuum, ut eum percuteret, ne comprehenſus ab hoſtibus cum irriſionibus interficeretur: quod quum ille facere recuſaret, in proprium incubuit gladium. Vt enim, ſi quis doleat, concurrentes amici oſtendant ſe pariter condolere, & communem illam exiſtimare calamitatem, ſubleuatur mirum in modum dolor, quaſi onere cum illis partito, ſic econuerſo inimicorum deriſiones plagas uehementiores uideri faciunt, & acerbiores. Quanto igitur iniquiora Chriſtus paſſus eſt & dolentiora, qui ut rex ignominiæ tractabatur, qui rex eſt gloriæ: nemo enim gloriari iuſtè poteſt, niſi Deus uel in Deo: omne rectè dictum rectéque factum ab eo deſcendit. Ille enim eſt fons unicus, ut uirtutum, ita & laudationum omnium, nec aliundè ſibi quiſquam placere poteſt. Quòd ſi externa conſiderare in Chriſto uoluerimus, nihil in eo dignum irriſione reperiemus: nam quo ad corpus attinet, Speciosus erat forma præ filiis hominum: quo ad cætera, prudens erat in ſermonibus, manſuetus in moribus, rectus in dicendo, ſublimis in agendo. Ab opprobriis. Hæc quoque multa fuerunt: nam uenundatus, ut ſeruus, milites ad ipſum miſsi tanquã ad latronem cõprehendendũ, quod ipſe illis obiecit: ſputa in eius faciem apud Caipham & Pilatum iniecta tanquam in hominem deteſtabilem: Ab Herode ueſtibus indutus albis tanquam fatuus ad Pilatum remiſſus eſt, iuſſus ſibi ipſi crucem geſtare: inter latrones medius crucifixus eſt, tanquam princeps duxque latronum. Nuditas totius corporis etiam ſi ſola abſque flagellis & cruce ſpectetur, quem ignominiam non præſefert? Quem iniicere pudoris æſtum nudato potuit? Num leue etiam opprobrium Barrabas, qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, in liberatione prælatus, iniuſtus iuſto, necis author uitæ authori? Veſtimentorum quoque eius inter milites diuiſio ſortisque ſuper tunica inconſutili iniectio ad opprobrium pariter pertinet. Percuſsio ſimiliter lanceæ in latus eo iam mortuo referri eódem poteſt. Diſciplina quoque eius & familiaritas, ut probrum obiiciebatur. Inde illud eſt. Nunquid & tu ex diſcipulis eius es? & Nonne ego te uidi in horto cum illo? De hoc cecinit Hieremias. Saturabitur opprobriis. Non potuit propheta ſignificantius exprimere opprobriorum multitudinem, quam his duobus uerbis. Saturabitur opprobriis: ſic enim locutus eſt, quaſi ſi Chriſtus delectatus fuiſſet opprobriis, ſatur inde diſcederet. A ſolitudine. Chriſtus traditus eſt iudicum poteſtati, ſolus in iudicio relictus: nam pro eo affuit nemo, non mater, non conſanguineus, non affinis, non diſcipulus, non eorum aliquis, qui ab eo beneficium ſalutis acceperant, quorum ſanè non parua fuit multitudo. Magna eum antea turba ſequebatur, nemò è tanto numero pro eo uerbum fecit: nemo ſubuenit in ſuppliciis: nemo ſolatus eſt. Poterat Chriſtus dicere. Omnes amici

mei

mei me dereliquerunt. Et illud Dauidis in pſalmo ſexageſimo octauo, præſertim quum de ipſo id prædictum eſſet. Improperium expectauit cor meum & miſeriam, Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni. Quinetiam audacter dicendum deſtitutum illum fuiſse diuino fauore, & in puris naturalibus (ut aiunt) relictum. Indicat oratio ad patrem, quam habuit in horto, indicat ſanguineus ſudor illic emiſſus, indicat uox illa in cruce morientis. Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me, quod non contigit martyribus, quibus Deus adeò auxiliatus eſt: vt nonnulli eorum ad pœnas quaſi ad delitias quaſdam properarent, & in pœnis etiam gauderent. Sed non quia deſertus fuit Chriſtus ab hominibus, ideò ipſe hominum cauſam deſeruit: & licet deſertus fuerit diuino auxilio, uoluntati tamen Dei ſibi obtemperandum exiſtimauit. Ab amicorum fuga. Vidit ſimulac captus eſt diſcipulorum fugam. Illud deterius, quod à fide quoque, quam de eo habuerant, fugerunt: ſed unius ex diſcipulis proditionem quoque uidit, & alterius abnegationem. Ex amicorum genere hi boni perhibentur, qui in calamitate re aut opera ſubueniunt, quorum Chriſtus tunc nullum habuit, ut nuper dixi, ſed peiores domeſtici, qui aut deſerunt, aut produnt, aut diſsimulant. Hæc tria Chriſtus tunc expertus eſt in diſcipulis: nam prodidit unus, alter diſsimulauit, reliqui abierunt. Ab inimicorum exultatione. Exultantes enim Iudæos de eius ſuppliciis & inſultantes conſpexit. Ab innocentia. Hæc ſumma in illo fuit, qui peccatum non fecit: nec inuentus eſt dolus in ore eius, de quo ſcripſit Apoſtolus. Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato, & de ſe ipſe dicit ad Iudæos. Quis ueſtrum arguet me de peccato? & rurſus. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Id, quod etiam patet ex aduerſariorum confeſsione, qui nullum turpe ei obiecerunt, illud clamabant, quòd ſeduceret populos noua doctrina: & alia quædam uana & inepta, propter quæ à Pilato innocens fuit exiſtimatus: tamen ut nocens fuit aduerſariis traditus. Hinc dolor non leuis oriri potuit: nam (ut quidam inquit)

*Leniter ex merito, quicquid patiare ferendum eſt:*
*Quæ uenit indigne, pœna, dolenda uenit.*

A iuſtæ defenſionis reiectione. Interrogatus enim ab Anna Pontifice de doctrina & diſcipulis eius, iuſta illa reſponſione uſus eſt. Ego palam loquutus ſum mundo, quæ reſponſio ita fuit reiecta, ut alapam à miniſtro ſuſciperet. Rurſus adiuratus à Caipha principe ſacerdotum per Deum uiuum, ſi eſſet filius Dei, & ueriſsime reſpondiſſet ſe eum eſſe, & ammodo uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli: pro hac ueritate audiuit à ſacerdotibus, ſcribis, & ſenioribus, qui illuc conuenerunt. Reus eſt mortis. Quòd autem hoc oſtendere uoluerit, illi noluerunt: indicat illud, quòd interrogantibus, ſi eſſet Dei filius prius reſponderat, ſi dixero, non credetis mihi: Si autem & interrogauero, non reſpondebitis, neque dimit-

dimittetis. Poſtremo interrogatus à Pilato,num eſſet rex,& reſpondiſſet ille, vt dilueret regni crimen, quod obiiciebatur. Regnum meum non eſt de hoc mundo,& cetera quæ ſequuntur. Veruntamen,quum prudentiſsimè reſpondiſſet, & ſciret Pilatus,quòd ex inuidia tradidiſſent eum, ſpinis coronari, & flagellis eum cædi iuſsit: & quum nihil de eo ſupplicio profeciſſet, ſed magis adhuc inſtarent, vt crucifigeretur, eorum voluntati traditus eſt nulla habita iuſtæ defenſionis ratione. reliquit ille ſuum iudicium, et in crimen tranſiit alienum. A mœſtitia propinquorum. Vidit Ieſus(ſicut dictũ eſt antea) ſub cruce mœſtum diſcipulum, quem diligebat, mœſtiorem matrem, lacrymantes Mariam Cleophæ,& Mariam Magdalenæ. A loco. Multum refert, vtrum quis infami afficiatur ſupplicio deſerta in regione, an in celebri vrbe. Chriſtus autem paſſus eſt tam ſæua, tã probroſa Hieroſolymæ, quæ clariſsima nõ Iudææ modo fuit,ſed vrbium omnium orientis. Crucifixus etiam ille fuit in loco infami & deformi, vbi malefici & ſcelerati homines iuſtè damnari necabantur, qui locus appellabatur Caluariæ, propterea quòd multa defunctorum capita cute nudata illic viſebantur. A tempore. Eo ſcilicet tempore, quo propter azymorum dies, & paſchæ celebrationem omnes ferè Iudæi illuc cõfluebant. Ab ætate patientis. Morti.n.traditus fuit tertio & trigeſimo ætatis ſuæ anno,qua in ætate dulce eſt viuere propter robur corporis & firmitatem,& homines rebus gerendis sũt aptiores. Ab honoribus prius habitis. Si quiſpiam ſummo in honore antea habitus mox decidat, hic caſus ualdè eum premet, tanquam ex alto præceps ad ima detrudatur. Quid ſi ab honoribus ad maxima repente trahatur ſupplicia,quanto id acerbius & luctuoſius: Cogita nunc Chriſtum. Ille antea tum propter innumera miracula, tum propter rectitudinem doctrinæ, veritatisq; prædicationem ſummo erat in honore apud plebem, adeò quòd princeps ſacerdotum, ſcribæ, & phariſæi huic eius gloriæ inuidentes,comprehendere eum ſæpius cupientes auſi non ſunt, quia timebant plebem,quæ eum vt prophetam habebat. Hinc etiam illa vox. Non in die feſto, ne forte tumultus fiat in populo. Quid plura? Sexto antea die ſedenti ſuper aſinam & pullum ſubiugalem, & eunti Hieroſolymam obuia facta eſt magna multitudo cum ramis palmarum, alii veſtimenta ſua ſternebant in via,alii eoſdem palmarũ ramos,quos de arboribus cædebant. Clamabant autem & qui præcedebant, & qui ſequebantur voce lætitiæ: Oſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine domini, rex Iſrael. Et ingreſſus illo die templum, & ſubſequentibus multa dixit, & fecit ad euangelium pertinentia cum ſumma omnium admiratione. Sextus factus eſt dies ab illo ſplendido ingreſſu, ecce vinctus adductus eſt ad iudices, percuſſus poſtmodum & laceratus, & vſq; adeò accenſa plebs, vt clamaret contra eum,& crucifigi poſtularet: atq; id vſq; eò inualuit, vt crucifigeretur. Hæc tam turpia, ignominioſa,crudelia recordatione priorum honorum acerbiora potuerunt videri. Ab eodem (inquit diuus Bernardus) populo, in eodem loco, ipſo paſ-

ſionis tempore, interpoſitis paucisſimis diebus primo cum tãto triumpho ſuſceptus, poſtea crucifixus eſt. O quam diſsimile eſt, tolle, tolle, & crucifige eum, & Benedictus qui venit in nomine domini Oſanna in excelſis: Et quam diſsimile, rex Iſrael, & non habemus regem niſi Cæſarem: & quàm diſsimile rami virentes, & crux, flores, & ſpinæ: Cui prius ſternebantur veſtimenta aliena, ecce ſuis exuitur, & ſuper his ſors mittitur. Ab inſolitis doloribus. Non ille mala paſſus fuerat corpore, nullos morborum ſenſerat cruciatus: ridiculũ enim eſſet eum, qui aliorũ morbos uerbo ſolo aut tactu curabat, & pro imperio excutiebat, ipſum ægrotare: Inſolita autem mala magis terrent, commouent, premunt, vehementius affligunt. Poſtremo à paſsionis fruſtratione: Quo dolore affectũ Chriſtũ putas, quũ præuideret ſanguinem ſuũ tanto charitatis igne effuſum aliis nihil auxilii laturũ ad ſalutẽ: quia beneficiũ hoc non agnoſcerent propter incredulitatẽ, aliis qui ſe ſequiſimularent, maiori etiã exitio futurũ. Nõ enim mediocris dolor eos inuadit, qui de laboribus ſuis nullũ aut paruũ admodũ ſentire ſe vident prouentũ, & vt eſt in euangelio. Tota nocte laborãtes nihil capiunt. His ita decurſis ſtatuo Chriſti cruciatũ omniũ grauiſsimum fuiſse: & miſeratione omnium digniſsimum, vtpote qui omnes miſericordiæ locos impleuerit. Si de genere tantũ pœnæ ageretur. Flammæ cruciatus videtur eſſe acutiſsimus: Verumtamen ob eius vehementiam cito hominem perimit, & à pœna liberat, ita vt grauitatem ſui breuitate compenſet. Multa autem perpeſſus eſt Chriſtus ante crucem, multa in cruce, Itaq; multis concurrentibus duriora tuliſſe exiſtimo Chriſtum, quàm Laurentium quàm multos Chriſtianos, qui Neronis temporibus (vt Tacitus ſcribit) igni traditi fuerunt: & in vſum nocturnorum luminum ardebant. Nec eſt tamen, quin videam, quod Chriſtus habere potuit ſolatia quædam tantarum pœnarum. Videbat enim quod mox die tertio ad immortalem gloriam reſurgeret, & quod exantlatis omnibus laboribus genu flexionem quorumcumq; ſpirituum, & confeſsionem omnium linguarum aſſequeretur. Deinde charitas, qua tenebatur erga humanum genus, flagransq; deſiderium redimendæ eius ſalutis faciebant, vt libenter his ſe pœnis obiiceret: Verumtamen ita diſponente ipſo, ea pars animæ, quæ in ſenſibus conſiſtit, tantum patiebatur, quantum omni auxilio deſtituta pati poterat, tantas pœnas exhauriri voluit, vt oſtenderet, quanti nos faceret, & amaret, quanti ſalutem noſtram gratam haberet, pro quibus tam copioſè ſanguinem ſuum effunderet, & grauiſsima in inferioribus animæ partibus ſuſtineret. ſcriptum enim fuerat. Copioſa apud eum redemptio. Hæc habui, quæ de luctuoſa & graui Chriſti paſsione dicerem, quæ vtrũ iudicio tuo cõprobentur, ſcire cupio. EVS. Gratulor tibi Marce, quod diſserens de acerbitate paſsionis Chriſti de qua luctũ grauẽ excitari in cordibus fideliũ poſſe cenſebas, adeo elegãti & nouo more id feceris vt nihil fere de hiſtoria paſsionis illius prætermiſſũ videatur. plurima etiã memoratu digna tetigiſti. itaq; gratulor tibi de tã apto ſermone, vt dixi, gratulor etiã

mihi

mihi, quòd huc veniens te audiuerim. A te tamen maiora expecto. MAR. Quæ? EVS. Audies. Et vt primum de acerbitate huius paſsionis loquar, quam tu vis omnium acerrimam fuiſſe, multos mouere poſſes ad contradicendum aſſerentes magnam quidem fuiſſe paſsionem (non enim aliter dici poſſet) ſed non tam acrem, quàm prædicatur: propterea euãgelii ſcriptores de his narrãtes ſuppliciis breuiter & perfunctoriè ea enunciant. Vinctus fuit, ductus ad iudices, colaphis cæſus, ſpinis coronatus, flagellatus, crucifixus, nec de magnitudine alicuius ſupplicii aliquid afferunt. Nam vt cætera omittam de ſpinis nihil dicitur, quales fuerunt, quas nonnulli nimis grandes & acutas fuiſſe tradunt: tacetur etiam de numero flagellorum, quem ſupra ſex millia ictuum fuiſſe perhibent: de clauis etiam nullus ſermo, ſed dicitur eum tantum à militibus fuiſſe crucifixum. Adiuuat etiam hanc ſententiam locus ille euangelii, qui eſt apud Marcum, quòd mortuo Ieſu Ioſeph ab Arimathia nobilis decurio audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu. Pilatus autem (ſicuti ſcriptum ibidem eſt) mirabatur, ſi iam obiiſset. Sed accerſito centurione interrogauit eũ, ſi iam mortuus eſſet, & quũ cognouiſset à Centurione, donauit corpus Ieſu Ioſeph. Hoc, quod mirabatur Pilatus, facit, vt minus grauis videatur fuiſse paſsio. Si enim acerrima fuiſset paſsio, quid admirationis habuiſset, ſi vel antea occidiſset. Durum crucis ſupplicium, ſed hac cauſa durum habebatur, quòd, qui illud ſupplicium patiebãtur, diutius cruciabantur, & velut longa morte necabantur. Cui præſtant argumentum duo illi latrones eiuſdem conſortes ſupplicii, qui fractis cruribus coacti ſunt mori, vt de cruce poſsent deponi. Si enim crux acerrima eſset paſsio, ſtatim necaret, nec homines diutius in cruciatibus detineret. Illud etiam indicat plurimum ſucci & vigoris ſuperfuiſse, quòd poſt omnia tormenta magna voce exclamans expirauit. De hoc valido clamore non euangeliſta modo, ſed Paulus quoq; ad Hæbreos capite quinto teſtatur: dum inquit, quòd preces & ſupplicationes ad Deum, qui poſsit illum ſaluare à morte, offerens cum valido clamore & lacrymis exauditus eſt pro ſua reuerentia. Hæc dubitare pleroſq; faciunt, quæ propoſui, ut diluas, & habeam ipſe, unde dubitatio auferri poſsit. MAR. Non putabam hac de re me litem habiturum, quum plurimis oſtenderim argumentis hanc paſsionem omnium fuiſse acerrimam. Hæc autem, quæ affers, non eleuant tormenta, quæ Chriſtus pertulit, id tantum dicis, non fuiſse tam acrem paſsionem, quàm à multis prædicatur. Alii contra ne prædicari quidem poſse, quàm fuerit dolorum omnium plena, ne ſi quis quidem centum habeat linguas & ferream uocem. Ergo ſi quid rectè noui, hoc etiam aſseuerauerim acerbiſsimam fuiſse. Dicis euangeliſtas breuiter, & ſimpliciter loquutos. Vinctus fuit, perductus, colaphis cæſus, ſpinis coronatus, crucifixus: ita eſt, narratores enim tantum puri geſtorum fuerunt, cogitationibus tamen noſtris reliquerunt, ut perpenderemus, quàm grauia illa eſsent ſupplicia. Etenim, ut de ſpinis dicam, neceſse eſt grandes &

acutas fuiſſe, ut imprimi poſſent capiti, & penetrare, & firmam facere coronam. Quid de flagellis dicam? Ego huc cogitatione deducor Pilatum, quum uellet populum miſericordia flectere, uel ut illo ſupplicio ſatiatus hominis innocentis mortem ſitire deſiſteret, iuſſiſſe illum uerberibus acrius cædi, quod quum factum fuiſſet, ipſum deinceps ſpinis coronatum, & mirè flagellatum ad populum foras produxiſſe, & oſtentaſſe. En inquit homo. His in uerbis tanta amaritudo ineſſe uidetur, ut cogitari non poſſit, niſi Ieſum peſſimè flagellis acceptum fuiſſe. Et cogitandum præterea, quòd qui in corona tam ſæuus fuerit, ut è ſpinis contextam imponeret, in flagellis utiq; non extitiſſe mitiorem. Quid? quòd poſt acerrimam flagellationem ludus militum effectus eſt: quo in ludo attendite iuuenes, quot & quàm grauia fuerit perpeſſus, non alium inuenietis contumelioſius, fœdius, truculentius fuiſſe tractatum: mitto dicere, quæ apud Annam, & Caipham pertulit: inſpicimus nunc quæ apud Pilatum geſta ſunt. O miſerabilem illam quidem & luctuoſam ſpeciem, piam tamen ad animos noſtros commouendum, & neceſſariam ad demonſtrandum magnitudinem paſſionis huius: Non facio me nunc hic eſſe, ſed mente me Hieroſolymam in illud ipſum Pilati prætorium parumper transfero: intueri enim mihi iam uideor Chriſtum, poſtquàm flagellatus eſt, & propriis indutus ueſtibus in medio militū ludibrii cauſa attractum, prope rātes milites, hos exuentes iterū illū propriis ueſtibus, illos purpureā chlamidem iniicientes, alios in regali ſolio collocantes, alios plectentes coronam de ſpinis, & capiti eius imprimentes, alios arundinem in manu eius ponentes, alios flexis genibus ut regem Iudæorum ſalutātes, & arundine caput eius percutientes: An non etiam illos proximos uidemus colaphis caput eius cædentes, & illos in faciem eius ſacratiſſimam expuentes. Poſtremo magna in turba hæc geſta fuiſſe. Hæc ſi quis computat, nouem numero inueniet, & ſingula quoq; uocet ſupplicia. Obſeruandū illud quoque, quòd poſtquam inferiora corporis membra flagellis attriuerunt: ipſum quoque caput aggredi uoluiſſe, ne expers eſſet malorum: nam & in faciem expueruntr & alapas incuſſerunt, maximum illud quòd ſpinis coronarunt. Hæc ne parua dicemus? An non ſuperius dictum eſt irriſiones eſſe magnum malum, & quidem tantum, ut morte peius habeatur? Et grauius id fuit in Chriſto malū, quoniam ut rex ignominiæ tractabatur, qui rex erat omnis gloriæ. Credi etiam par eſt Chriſtum pudore fuiſſe ſingulari: quicunque autem ſunt huiuſmodi, uehementius in illuſionibus commouentur, uultu confunduntur, animo perturbantur, & maiore dolore percutiuntur. Ipſe hæc ludibria in pœnis ſuis poſuit, dum aſcendens Hieroſolymam uocatis ad ſe ipſum diſcipulis prædixit ſecreto, quòd principes ſacerdotum, & ſcribæ traderent eum gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum: addi etiam poteſt magno impetu & ardore hæc à militibus Romanis geſta fuiſſe: inuiſum enim faciebat Chriſtū regium nomen, quod uſurpare dicebatur, quum omnia illi ſubiecta eſſe Ro-

mano

mano imperio cenſerent. Crucifixerunt (inquiunt) nihil de clauis dicitur: Cur dicerent? nam ſatis intelligi poterat clauis affixum fuiſſe, & tam ualidis clauis, quòd humanum corpus in ligno pendens ſuſtinere poſſent. Quanquam de clauis alio loco non tacetur. Nam quum poſt reſurrectionem dicerent diſcipuli Thomæ, qui tūc non affuerat: Vidimus dominū: Ille negauit ſe credere, niſi uideret, & digitum in fiſſuram & locum clauorum mitteret. Quanto autem, & quàm duro fuerit affectus cruciatu, cuilibet in mentem uenire poteſt: & clauos quidem ternos fuiſſe conſtat, ut duas manus duobus, uno ambos pedes confixos dicamus. Et hos quidem inuenit unà cum cruce Helena Conſtantini mater. Ipſe autem Conſtantinus ex eorum uno frænum equeſtre, quo uteretur in prælio, alterum loco coni galeæ affixit: Tertium in mare Adriaticum ad ſedandam fluctuum turbulentiam fertur proieciſſe. Vbi hæc audis, num tibi uaticinari uideor? uel num potius ex cōſequētia rerum oſtendere acerbiſsimam illam fuiſse paſsionum omnium? Sed non ego uaticinor, ſi iam geſta ſequor: benè uaticinati ſunt ueteres prophetæ ea multo tēpore antequā fierent, diuino inſtinċti ſpiritu pronunciantes. Illi paſsionē Chriſti non modo prælocuti ſunt, ſed etiam acerbiſsimam oſtenderunt. Accipe uigeſsimū primum pſalmū, in quo magna ex parte Chriſti paſsio deſcribitur, & hic eſt pſalmus ille, cuius initium Chriſtus in cruce pendens retulit oſtendens pro ſe ſcriptum fuiſse. Sed quid ibi propheta? Foderunt (inquit Chriſtum inducens loquentem) manus & pedes meos. Graui uerbo uſus eſt propheta, foderūt. Videtur hoc uerbo uaſtitatē plagarū oſtendiſse. ſequitur. Et dinumerauerūt omnia oſsa mea, hæc dinumeratio oſsiū, nonne oſtēdit carnem Chriſti adeo eſse concisam flagellis, ut oſsa nudarentur, ita ut facile eorum numerus iniri potuerit. Significatur etiam hac locutione corpus ualidè in cruce extenſum fuiſse, quod ſine dolore fieri non potuit: nam (ut inquit Auguſtinus) non aliis uerbis melius deſcribi potuit extenſio humani corporis in ligno. Sed & ſuperius idem propheta dixerat loquens de hac paſsionis magnitudine ex eodem patientis ore. Sicut aqua effuſus ſum, diſperſa ſunt omnia oſsa mea. Audis quæ loquitur? Num diſperſio illa oſsium modicum intulit dolorem? Quis hoc credat? Non his contentus propheta ſubdit progrediens ſermone. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio uentris mei. Aruit tanquam teſta uirtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerē mortis deduxiſti me. Vides cōparationes cuiuſmodi? Nam quum ſe ut aquam effuſum, cor eius ut ceram liquefactum, uirtutem ſuam tanquam teſtam exaruiſse dicit. Quid putamus his uerbis ſignificari, niſi uehementiam paſsionis, conſumptum uigorem ferè omnem, ita ut reliqui non multum ſupereſset? Illud autem, quod in eiſdem uerſibus continetur, lingua mea adhæſit faucibus meis, quam expoſitionem accipiat à ceteris interpretibus non ſatis occurrit. puto tamen dictum de ſiti, quam ante crucem, & in cruce Chriſtus pertulit ob nimiam ſanguinis effuſionem, adeò

ut

ut lingua udo carens uix commoueretur: nec ſatis rectè ſuo fungeretur munere: Nec uerò leue tormentum ſitim crediderim, ubi uehemens eſt, nec puto tibi uideri ſecus, ſi memineris, quod in Græcorum eſt prouerbio: Tormentum homini ſitis. At quid tam diu differo notiſsimum Eſaiæ locum, ubi magna ex parte Chriſti paſsio deſcribitur? Ecce (inquit) intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit ualde, Vocat Chriſtum ſeruum propter formam ſerui, quam ſuſcepit, quamuis rapinam non arbitraretur eſſe ſe æqualem Deo. Exaltabitur, & eleuabitur, in cruce ſcilicet. Eo enim more Eſaias de Chriſto uaticinatus eſt, quo Chriſtus poſtmodum ipſe de ſe loquutus eſt: Ille enim alludens ad ſublimitatem crucis, in qua fuerat figendus. Si exaltatus (inquit) fuero à terra, omnia ad me traham: Significans (ut mox ſubdit euangeliſta) qua morte eſset moriturus: & alibi magis aperte. Sicut Moiſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis. Eodem etiam ſenſu uerba faciens ad Iudæos illud protulit, ut legitur in euangelio Ioannis. Quum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum. Ioannes etiam præcurſor ſignificans quo mortis genere & ille & ipſe eſset periturus. Oportet (inquit) illum creſcere, me minui. At quanta patietur iſte exaltandus? ſubdit poſt propheta: Non eſt ſpecies eius, neque decor, & uidimus eum, & non erat ei aſpectus: & deſiderauimus eum deſpectum & nouiſsimum uirorum, uirum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & plura alia, quæ ſequuntur in eandem ſententiam. Vide quàm deformatum, & omni ſpecie nudatum induxerit propheta. Non eſt ſpecies (inquit) eius, neque decor: non contentus iſtis repetit. Non erat ei aſpectus Quid hoc eſt? Non erat ei aſpectus? O lugubre uerbum. O infandam calamitatem, etiam ſi caſu contigiſset, & nō ſceleratorum manu fuiſset inflicta. Non erat aſpectus, Ita ne uerò aſpectus non erat ei in quem Angeli deſiderant aſpicere, tam deformatus erat ille, de quo ſcriptum eſt. Speciosus forma præ filiis hominum, Tantopere ſæuitum eſt in eum, qui fuit omnium manſuetiſsimus. Miramur Solem in eius morte obſcuratum fuiſſe, magis ille Sol iuſtitiæ in cruce pendens eſt obſcuratus. Sed uideamus, num Eſaias in his uerbis, quanquam grauiſsimis finem faciat? nō facit: ſed cōtinuans ſermonē eodem capite quinquageſimo (ut opinor) tertio ſubdens cauſam tantorum ſuppliciorū. Ipſe (inquit) uulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra. & deinceps poſt pauca. Voluit eū dominus conterere in infirmitate. Nequit ſaturari propheta, quin eadem de re ſæpius dicat, adeo hoc eius animum tangebat, & infigere in animis noſtris cupiebat: ut ex magnitudine ſuppliciorum oſtenderetur, quanti noſtram ſalutem faceret Deus; qui fluuio ſanguinis abluere uoluit culpam noſtram. Dixerat primò, non erat aſpectus: non uiſus eſt ſibi plenè rem indicaſſe: addit attritus eſt, & uoluit eum Dominus conterere. Quid eſt aliud conterere, niſi rem in minimas particulas frangere, & diuidere? hoc uerbo neſcio, an ſignificantius aliud inueniri queat ad oſtendendum

dendum tormentorum multitudinem, &grauitatem. Aude nunc dicere, (ſi potes) quum dicat propheta Chriſtum fuiſſe contritum, aliquod eius membrum à doloribus vacuum extitiſſe. Hoc etiam præuidit Dauid in eadem iens ferè verba in illo pſalmo uigeſsimo primo, ubi Chriſti paſsio apertius, quàm alibi toto in illo opere annotatur. Nam in uerſibus paulo ante à me recitatis audire potuiſti. Et in puluerem mortis deduxiſti me. Neſcio, quid tibi uideatur, mihi certe uidetur in puluerem deducere idem eſſe quod conterere. Interroga grammaticos, quid ſit conterere, reſpondeant in puluerem redigere, quo uocabulo Varro, & Plinius, & alii doctiſsimi uiri in ſtirpibus & aromatibus uſi ſunt, quæ cōtrita id eſt in puluerem redacta ſæpius proſunt. Quis nō putet Dauidem, & Eſaiam inter ſe de paſsione Christi collocutos, quamuis ſeculorum ſpaciis diſtent: unus utitur uerbo, alius ſignificatione uerbi: nec mirum tamen eſt illos eadem dicere, qui eodem ſpiritu dictante loquebantur. Additum eſt in pſalmo mortis, ut oſtenderetur eum contritum mortem obiiſſe. Audio ab amico linguæ Hebraicæ perito, & in iſtorum litteris plurimum uolutato, ueteres Hebræorum patres, qui Chriſti aduentum præceſſerunt, in eorum commentariis reliquiſſe. Deum eſse quendam confractum, & contritum (his enim uerbis utuntur) qui coleretur, ſiue id ex ſacris ſcripturis hauſerunt, ſiue caſu uaticinati ſunt. Hic autem confractus & contritus eſt unigenitus Dei filius, qui colitur à nobis, amplius etiam colebatur, quum religio noſtra uniuerſum orbem poſsideret, & ubiq; Chriſto domino caneret, nunc, in quàm paruum Europæ angulum reiecti ſumus, uides. Quis tandem proſpiciens ſaluatorem noſtrum tam fœde tractatum atque uerſatum non cōmoueatur? Ego uero lugeo, nec tu lacrymas (ut uideo) potes continere: Etenim aſpicio mente, quod oculis non poſſum, Chriſtum in cruce pendentem cum ſpinea corona, cum extenſis uenis, cum manibus pedibusque perforatis, cum cruentis plagis, cum lacerato corpore, cum aperto pectore, cum pallida facie, cum lāguentibus oculis, cum ſitibundis faucibus, cum flexa ceruice, nudatum toto corpore ante ora irridentium, & illudentium Iudæorum. Quid plura? Dici poteſt illud alterum Eſaiæ de eo uaticinium, quod ſuperius retuli. A planta pedis uſque ad uerticem non eſt inuenta in eo ſanitas. Et is (quod dolorem acuit) tam acerbe fœdatus, qui hanc tantam mundi pulchritudinem tam potenter crearat, tam ſapienter inſtruxerat, tam amanter ornarat, qui de ſolio maieſtatis ſuæ ad nos uenerat, ut ſalutem afferret. Quanta pro beneficiis immenſis pertulit? Quàm grauia? Quā horrēda? dura uerba, duriora uerbera duriſsima crux. Sed ſuſtineamus iam à fletu, & reliquo ſermoni operam demus, EVS. Recte mones. MAR. Monitis igitur parendum eſt, quanquam difficile ſit in tantis pœnis ſaluatoris non commoueri, experiemur tamen: nam intento opus eſt animo, ut omnia recte explicentur. Quædam ſcripturarum adduxi teſtimonia ad oſtendendum magnitudinem huius paſsionis à prophetis antea præuiſam: nec dubi-

to, quin ſuperſint alia, veluti illud Hieremiæ in lamentationibus. Dabit ſe percutienti maxillam, ſaturabitur opprobriis: & illud e pſalmo. Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam. Melius habet Chaldaica tranſlatio, quæ nõ fabricauerunt dicit ſed arauerũt: Sic enim ſulcus verberum expreſsius oſtenditur. Multis etiam aliis locis ſanctarum ſcripturarum figurate eorum, quæ Chriſtus paſſus eſt, magnitudo declaratur. Ego autem aperta adduxi teſtimonia, quæ nemo ſine calumniæ labe poſsit effugere: non videtur apertiora quæri debere. Quid ſi Chriſtum produco teſtantem de magnitudine paſsionis ſuæ? Quid dices? Num Chriſtum fallere, in cuius ore dolus inuentus non fuit? vel neſcire eum quomodo affectus ſit qui paſſus eſt, vel quæ fuerit paſſurus? Non videar tunc tibi ad apicem huius quæſtionis perueniſſe? EVS. Hoc facies? MAR. Faciam vtique. EVS Redde igitur quod polliceris. MAR. Animaduertatur igitur: nam hanc tantam corporis ſui deſtructionem futuram indicaſſe videtur ipſe, ſed paulò occultius, dum comparat ſe ipſum grano frumenti, quod niſi in terram miſſum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Scimus autem granum frumenti in terram miſſum calore tepefactum terræ diffundi, & liquefieri ita vt de eius priſtina ſpecie nihil remaneat, habet tamen uim fructificandi, quæ uis eſt ſeminis. Sic ſeipſum facit ſaluator, cuius forma corporis ad inſtar grani in terrã miſſi deflueret omnis, attamen multum fructum educeret. Conueniens certe ſermo iſte cum propheta, qui ab eo omnem ſpeciem & aſpectum abiiſſe commemorat, & contritũ facit. His etiam illud cõſonat pſalmographi, dũ ſe vt aquã effuſum dicit & tanquam ceram liquefactum. Mihi quoq; ea, quæ Chriſtus in cruce protulit, Deus Deus meus, ut quid me dereliquiſti, uidentur eſſe uerba hominis maximos & penè intolerabiles cruciatus ferentis, hoc enim dixit ille non quòd eſſet à Deo deſtitutus id eſt à diuina ſubſtantia, quum uerè eſſet Deus is, qui loquebatur, ſed ut oſtenderet ſe humanæ infirmitati relictum abſque Dei auxilio. ut tantum pateretur, quantum homo pati poſſet. Audiſti nuper ab Eſaia: Quod uoluit eum dominus conterere in infirmitate, & paulo ſuperius uocat uirum ſcientem infirmitatem: nam ſi neſcire uoluiſſet (quæ erat ei potentia) non pateretur, & ad arbitrium ſe in libertatem uendicaſſet, eos illudens à quibus illudi uoluit. Nunc indicaſſe mihi uidetur illis uerbis quanta ſuſtineret. Videmus multos ſanctos uiros pro Chriſto pati paratos ſubleuatos fuiſſe Deo opitulante, ita ut aut nihil, aut minus tormenta ſentirent, ut mittam ceteros. Ioannes euangeliſta, quum ſub Domitiano in dolium feruentis olei miſſus fuiſſet, nullam ſuſtinuit pœnam, niſi ſi forſitan pœna eſt ſiccum intraſſe, & unctum diſcedere. Memini etiam legiſſe de martyre quodam (nomen mihi excidit) qui, cum in aere ſuſpenſus torqueretur, ſe tunc dicebat mira quadam perfuſum dulcedine: adeò ut non tormenta, ſed tortores execraretur, qui de tormentis depoſuiſſent. Longum eſſet cunctos commemorare

morare

morare, qui eadem uel ſimilia experti ſunt, cum his uidebatur Deus eſse in tribulatione, quum præſens auxilium ferebat: cum Chriſto, qui non ſuam, ſed uniuerſi generis humani cauſam agebat, actum eſt durius, nam uidetur diuinitas fauore ſuo in pœnis illum deſtituiſse. Quid plura? Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Si dubitarem de magnitudine pœnarum, inſpicerem, quantam pro his eſset gloriam conſequutus: quum reperirem immenſam, ne leues quidem pœnas exiſtimarem, pro quibus tantum nominis quæſiuiſset. Et ego quidem ita ambularem, ut ex immenſitate gloriæ magnitudinem meritorum iudicarem. Apoſtolus autem contraria ratione poſuit ſibi prius ante oculos Chriſti merita, & ex his de Chriſti gloria iudicat: ait enim ad Philippenſes litteras dans, Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus eſt in gloria Dei patris. Idem Apoſtolus ad Hebræos. Nunc uidemus (inquit) Ieſu propter paſsionem mortis gloria & honore decoratũ. Ipſe in ſermonibus ſuis ad Iudæos oſtendere cupiens poſt reprobationem de ſua glorificatione, illud ex propheta protulit. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc interpoſui, ut intelligeres nullam eſse conqueſtionem hic Chriſti de Deo, quod parumper ſe ſuſtinuerit ab auxilio filii. Sciebat enim quanta pro his præmia eſset à Deo patre relaturus: his tantum uerbis oſtendit, quanta pateretur, ut nos, quorum cauſa illa ferebat omnia, ad ſui amorem excitaret. Et habes quidem alterum Chriſti teſtimonium de magnitudine tormentorum ſuorum, ut ego interpretor. Si tertium cupis habere, quod eſt longè luculentius, ita ut tergiuerſationi non ſit locus. Cogita quæ appropinquanti paſsionis ſuæ tempore in horto Olιueti dixit, & fecit. Quæ ſunt hæc? Narrabo quæ in euangeliis leguntur. Sciens enim Ieſus omnia, quæ ſuper eum uentura erant, cœpit contriſtari, & mœſtus eſse, & pauere, & ait diſcipulis ſuis. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Et relictis illis aſsumpto Petro, Ioanne, & Iacobo auulſus ab eis, quantum iactus eſset lapidis, procidens in faciem ſuam ter orat eundem repetens ſermonem. Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: uerumtamen non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum: & factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor ſicut guttæ ſanguinis in terram decurrentis. Et hæc inſtante iam paſsione. Die autem palmarum, quum mentionem feciſset paſsionis ſuæ, ſubiecit. Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora, ſed propterea ueni in horam hanc: pater clarifica nomen tuum. Habes hæc ex euangeliis, nihil addo de meo præter cogitationem. Te quoque cogitare uolo, quanta uis paſsionis fuerit in Chriſti corpore, cuius imago animo recepta, ſic

percuſsit Chriſtum, ut ei triſtitiam inferret, ter patrem oraret proſtratus, ut ab eo calix ille tranſiret, factus fuerit in agonia, & ſanguineum emiſerit ſudorem, accederet de cœlo Angelus confortans eum. Leuem ne paſsionem hanc putem, cuius tam grauia fuerint præludia? Mitto triſtitiam, pauorem: nam fortaſse dixerit aliquis hæc natura contingere cogitatione mortis. Sed cur deinceps tam inſtanter orat patrem, ut à ſe transferat calicem illum? At hæc uerborum ſunt: At illud iam non uerba ſed res, quòd factus eſt in agonia. Qua de cauſa? niſi quia diuino illo ſpiritu præuiderat, quanta paſſurus eſset, illo inquã, quo nihil illũ latebat, ſed aperta erãt omnia. Quid maius expectamus teſtimoniũ cruciatus, quos laturus erat Chriſtus, magnitudine excedere? quum horũ præcognitione adeò turbatus fuerit, ut etiam in ſenſibus pateretur nimium angorem. Credis rem huc ſubſtitiſse, & deſinere? Non. Num uides emiſiſse eum ſanguineum ſudorem in terra decurrentem? Acceſsit de cœlo Angelus confortans eum. Magna enim fuerat illa perturbatio, quid dixerit, aut fecerit auxiliaturus, incertum. Exiſtimare poſsumus iuſsum eũ fuiſſe, ut miniſtrũ inferiores animi partes mulcere, & ad rationem ſuperiori loco ſtãtem reuocare: potuit enim cogitationi eius ſubiicere, & rememorare, quãtus ex tali paſsione foret prouentus, quanta ipſi Chriſto cruciq; eius aduentura eſset gloria, laborem illum cito abiturum, fructum eius ſemper manſurum. Multos eruit Deus de inſtanti ſupplicio: Ipſum populum Iſraeliticum de ſeruitute AEgiptyorũ, tres pueros de camino ignis. Danielem de lacu leonum, Suſanam de falſo crimine. Multos præterea alios tempore legis nouæ. At filium noluit, quia uenerat, ut ſupplicio ſuo lueret peccata humana, quod in illis non erat, nullum erat damnum, ſi leuarentur doloribus. At omnia, quæ paſsurus erat Chriſtus, erant pretium. Cuius rei pretium? redemptionis noſtræ. Extant qui magnitudinem paſsionis indicari putant, quòd die, quo in altiſsimo monte transfiguratus eſt Chriſtus, & ad eum Moiſes & Elias ueniſsent, ſcriptum eſt, quòd de exceſsu loquebantur: interpretantur enim eos loquutos de ſuperabundãtia ſuppliciorum, quæ paſsurus ille fuerat. Sic enim exceſsum intelligunt. Quòd ſi dicatur exceſsus nomine ſignificari mortem (nam per eam quis è uita excedit) eódem res redit: nam ſi loquebantur de morte Chriſti, non potuit ueriſimiliter magnitudo & fœditas ſuppliciorum, per quam ad eam peruenit, prætermitti: ſed hoc ex coniectura ducitur: nam qui exceſsus eſset ille, de quo loquebantur, incertum. Me uerò non tam externa Chriſti ſupplicia commouent, quàm interna. Corpus undique afflictum uides. Quid de animæ dicam dolore? Num de Iudæ & reliquorum perditione mediocrem fuiſse putas, dum uideret ea, quæ in ſe fierent, tendere in patris iniuriam, & facientibus perpetuam perniciem irrogare? Certè quanto maior fuit Chriſti charitas erga Deum, & animarum ſalutem, quàm cæterorum omnium, tanto fuit in eo grauior animi perturbatio, plus uulnera peccatorum noſtrorum, quibus incolumitas animæ affligitur, illum premebant

bant, quàm illa quæ corpori ſuo infligebantur. E V S. Putabam te ad oſtendendum grauitatem dominicæ paſsionis alia quædam allaturum. Illud te non præterit multa multis de paſsione Chriſti reuelata diuinitus: nam plura dicunt perpeſſum, quàm quæ euangelium narrat. M A R. Quid ergo, tu his credis reuelationibus? E V S. Quid aſſequar quæſo, ſi non credam? M A R. Quid aſſequeris? Hoc aſſequeris, quòd falſitate non capieris. E V S. Falſas igitur tu has putas? M A R. Poteſt id contingere: nã Angelus Sathanæ ſæpè transformat ſe in Angelum lucis, quemadmodum Apoſtolus teſtatur. E V S. ſæpè inquis, ergo non ſemper. M A R. Nolo dicere ſemper. Ne pigeat igitur uti Græcorum prouerbio. E V S. quo? Multa enim ſunt. MAR. Noſti illud. Non paſsim, non omnia, non ab omnibus: hoc transferre poſſumus conuenienter hâc ad rem. Equidem nõ paſsim, non omnes, nec ab omnibus ſuſcipio reuelationes, ſed probabiles, ſed pietatem acuentes, ſed ab his prolatas uiris, ſiue fœminis, qui uitæ ſanctitate & miraculorum poteſtate floruerunt, & eò magis ſuſcipio, ſi plures huius notæ, quàm nuper memoraui, in idem conuenerint: Auguſtinus in ſacrarum litterarum interpretatione multa domino reuelante dicit ſe cognouiſſe, facere non poſſum, quin tali viro credam. Multi ſancti viri multa Chriſtum pertuliſſe aſſerunt, de quibus in euangelio ſermo nullus. Nam vbi Chriſtus captus eſt, & vincula iniecta, ductum eum fœdè & atrociter, & cum magna vexatione & moleſtia volunt: deinde in domo Caiphæ, vbi pernoctauit, non ſolum colaphis cæſum vt euangelium teſtatur, ſed etiam flagris volunt. Numerus verberum apud Pilatum, de quo dixiſti, is quoq; ex reuelationibus. Denique aſſerunt nullum membrum, nullam carnis particulam, nullum deniq; locum in corpore Chriſti fuiſſe, quin ex ictibus condoluerit, cruciatumq; ſuum tulerit. Aſſerunt pugnis, calcibus, fuſtibus, in humum proiectionibus, raptationibus, barbæ capillique euulſionibus Chriſtum contuſum, & multa & magna paſſum fuiſſe, quorum in euangelio nihil legitur. Ferunt etiam matrem virginem, vbi filio crucem baiulanti occurriſſet, & tantopere ſub crucis pondere fatigatum, & de cruciatibus ita deformatum conſpexiſſet, corruiſſe, & defeciſse: hoc certè non habet euangelium: At vulgo ita receptum eſt, & noſtri, quo tempore regiones illas poſsidebant, vbi illa conciderat, ædiculam fabricauerunt, quo memoria rei ſeruaretur, & pietas animorum noſtrorum incenderetur: Diuitias paſsionis ſuæ Chriſtus ſpargit ſanctis viris, & his indicat dolorem, quem tulerit, quando in cruce ſublatus eſt, illis, vbi clauis confixus fuit, aliud alii, prout eius infinitæ ſapientiæ viſum eſt, quæ illi, quibus eſt reuelatum, poſteris tradiderunt. Si quis tamen credere hoc nolit, vtatur ſe ipſo vt libet, nemo ei fuerit moleſtus: Sed tamen audies multos ex his, qui harum rerum meditatione potiuntur, dicere Chriſtum tantis ſuppliciis præter humanæ naturæ conditionem ſuffeciſse: Illum (qua latitudine charitatis fuit) voluiſse diutius aduerſus tormenta durare. Nec mirum videatur potuiſse ſupra humanas vires ſup

plicia perferre eum, qui plus homine ſapiebat, poterat, amabat. E V S. Dicis Chriſtum plus quàm ferre poſſet humana natura aduerſus tormenta durasse. M A R. Dico equidem. E V S. Quid ergò dicis ad illud, quod iam obieci tibi: Scribit enim Marcus miratum eſse Pilatum petente Ioſeph corpus mortui, quòd iam obiiſset, & audito Centurione corpus Ieſu Ioſeph donaſſe: Si enim plus quàm alius homo ferre poſset, tulerat, non debuit mirari, quòd tã cito obiiſset, ſed illud potius, quòd tam diu uixiſset. MAR. Quid ergo? Pilatum putas medicum, aut chirurgum fuiſse, ut ſcire potuerit, qui cruciatus celeriter, & qui tarde ad mortem ferrent. E V S. Non puto medicinæ ſcientiam eum habuiſse, unde ſcire potuerit, ſed ex rerum uſu id opinatum. MAR. Quem rerũ uſum mihi narras? ubi enim uiderat alium tanta tormenta perpeſsũ diutius uiuere? Viderat forſitan ſeruos, & tunc duos latrones crucifixos, qui nihil ante crucem mali tulerant, qui diutius uiuere poterant, quum nullum uitale membrum oblæſum eſset. Eodem exemplo de Chriſto iudicare non poterat, quem ſuppliciis multis uiderat affectum, & penè confectum. Nullum erat in eo de interioribus membris offenſum, attamen multa & magna exterius collata, ſi ſingula non poterant, hæc in unum collecta celeriter ad mortem perducere potuerunt. Adde huc naturam corporum, quæ in hominibus diuerſa quũ ſit, efficere poteſt ut eundẽ cruciatũ diutius unus, quã alius ferre poſsit. E V S. Dicis Pilatũ non rectè uenisse in admirationem uelocis interitus. M A R. Rem tenes: ut enim prius damnauerat Chriſtum inique, ſic hac in re inſulsè dico miratum. E V S. Omittamus igitur hunc hominem, cuius iudicium improbamus. Sed quid ais ad euangelicum illud, ubi ſcribitur Chriſtum ualido clamore emiſso expiraſse. Hic ualidus clamor unde? An non indicat plurimum adhuc penes eum ſucci & roboris fuiſse? M A R. Non meus hic eſt ſermo, quem profero, ſed Hieronymi & Auguſtini ſummorum eccleſiæ doctorum. Poteſtati aſcribunt diuinæ, quòd tunc moriens tam ualidè exclamauerit, ut oſtenderet ſe potuiſse mori, quãdo uoluit, nam antea dixerat, Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Hoc ſermone indicat mortem fuiſse in eius poteſtate, ut quãdo cunque uellet moreretur, & ſi nollet non moreretur. Itaque non iure alicuius poteſtatis corpore exutus eſt, ſed ſe ipſum ſponte ſua exuit: nam qui poſset nõ mori, ſi nollet, proculdubio, quia uoluit mortuus eſt quod nulli hominum contingit, cæteri homines in mortis articulo afflicti iacent, quanquam uideamus interdum pleroſque in ultimo uitæ ſpiritu inualeſcere, tanquam colligente ſe natura, & ultimum faciente conatum, ſi forſitan morbum expugnare poſsit, ſed ut id ſe ſe habeat, illum ualidum clamorem à Chriſto ſublatum non humanæ, ſed diuinæ facultatis noſtri dicunt fuiſse. Hocque inter miracula connumerant, ut indicant etiam illa Marci euangeliſtæ uerba. Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſset, ait, uerè hic homo filius Dei erat. Potuit ad extremum plurimum uigorem

gorem mirabiliter aſsumere, ut oſtenderet ſe nulla ui de corpore eiici, ſed exire, ueluti de domo foras ex uoluntate non multo poſt rediturus: non enim, quia naturam noſtram aſsumpſit, ſimiles ſumus illi, qui omnia ex uoluntate geſsit: nos, nec quia uolumus nati ſumus, nec quandiu uolumus, uiuimus, nec quomodo uolumus, morimur. Ille antequam naſceretur, elegit, de qua naſceretur: natus fecit, ut à Magis adoraretur. Poſtea per ætatem, quamuis humanæ naturæ imbecillitatem præ ſe ferret, miraculis ſe Deum oſtendebat. Poſtremo genus mortis elegit ipſe, ut in cruce penderet, illic quandiu uoluit, ſtetit: & quum uiſum eſt, abſceſsit: in ſepulcro quandiu uoluit, iacuit: quando uoluit, tanquam de lecto ſurrexit. Satis ſuperque dictum eſt de magnitudine & multitudine dolorum Chriſti & acerbitate paſſionis illius. Nunc, ſi uidetur, ad reliqua pergamus.

# MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PASSIONE DOMINI LIBER SECVNDVS.

## EVSEBIVS.

SACRAMENTVM dominicæ paſsionis, quod ante omnia tempora diuino decreto diſpoſitum fuit, & omnibus retro ſeculis multis prophetarum vocibus, multis rerum ſignis nunciatum, non expectamus vt implendum, ſed iam colimus impletũ. Nunc dicendum cenſeo de cauſa: nihil enim agunt homines ſapientes, niſi idonea de cauſa: ea quænam fuerit, tractandum eſt: nam aliquam eſſe oportet, & eam permagnam, vt vnigenitus Dei filius homo fieri, & homo factus tanta perferre, ſuum eſſe duxerit. MAR. Quid? tu non noſti cauſam? EVS. Noui equidem: nam multorum agitata litteris, & paſsim tractata, & vulgo cognita. MAR. Cur igitur ſcire requiris? Nouitas enim rerum cõmouere ſolet ſciendi cupiditatem, & mentes excitat hominum, vt parent ſe ad audiendum: ea quoq; beneuolentiam dicenti conciliat: vetuſtæ & contritæ narrationes non adeò gratæ ſunt. EVS. Attamen dicendum eſt tibi: nam hic dies poſtulabat hunc ſermonem, & nihil habemus aliud, in quo melius has matutinas horas conſumamus, (quanquam harum rerum elocutio ad omne tempus conueniret) commemoratio enim beneficii accepti non poteſt eſſe temeraria: imò quò quis magis prædicat, ſe magis aduerſus beneficii authorem gratum oſtendit. Vt hæc non eſſent, nõ inſpicere me debes, ſed horum duorum adoleſcentiam quam inſtrui iam oportet. Sic autem habeto, quicquid te hodie iſtis de rebus interrogauero

rogauero, vt tuum eliciam reſponſum, faciam ex eorum voluntate: audis vtrunque hoc velle, & rogare. Spero inſuper (ſi bene te noui) quod hæc vetuſta ita tractabis, vt nouo quodam more dici uideantur, & ad quamlibet ætatem rectè dicerentur. M A R. Poſtquam uis me de iſtis loqui, Noſti ne cauſarum diſtinctionem? E V S. Quam diſtinctionem requiris? M A R. Quia cauſam paſsionis huius requiris, putabam te eam diſtinctionem noſſe. E V S. Dic, quæ nam ſit. M A R. Cauſarum aliæ præcipuæ ſunt, & (ut ita dicam) principales, quibus mouetur aliquis ad faciendum, quæ ſi non adeſſent ſpe, uel re illud facturus non eſſet: quædam ſunt, quæ hanc concomitantur, & ſubſequuntur, quas acceſſorias poſſumus dicere: quibus non ita impellitur animus ad agendum, ut in his conſtituatur finis, ſicut in ſuperioribus: nam ſine his poſteriores hæ cauſæ tanti non ſunt, ut propter eas actio ſuſcipiatur: intelligis ne? E V S. Puto me intelligere. M A R. Vt aptius intelligas, tolle hoc exemplum. Proponit Petrus ire Romam, vt ſacerdotium à ſummo ſacerdotum Principe impetret, hunc eundi finem facit, proficiſcitur: hæc eſt præcipua cauſa itineris ſui ſine qua ne gradum quidem mouiſſet. Poſſunt eſſe aliæ cauſæ concomitantes: veluti exiget à debitore pecuniam, vel vendet illic aliquid, vel emet, aut audiet doctum quendam virum: poteſt etiam accedere illa cauſa, vt Vrbem videat vetuſtam, & quondam gentibus imperantem, & nunc etiam ædificiis, & frequentia populi inſignem: has voco concomitantes cauſas, quia idoneæ non erant ſolæ, vt Romam ille contenderet, niſi illa ſacerdotii acquirendi extitiſſet. Sic enim facio Petrum cogitantem. Eo Romam, vt ſacerdotium petam, hoc me ducit, habeo quidem cauſas quæ mentem impellunt meam, ut eam, ſed ſine ſacerdotio non irem. Itaque ubi Romam uenerit, unam illam ſacerdotii proponet, de reliquis uel non dicet, uel ut de cohærentibus dicet. Hæc propoſui forſitan uerboſius, ſed curæ fuit, ut planè & rectè perciperes. E V S Perge porrò: nam uerboſitas iſta tua (ſi qua tamen eſt) me ualdè delectat. M A R. Nunc te interrogo num ſufficiat, ſi præcipuam cauſam expoſuero paſsionis huius reliquis prætermiſsis. E V S. Minime uero id feceris, ſed ubi præcipuā cauſam oſtenderis, de reliquis etiam dices ita enim auditis omnibus ſermo reddetur perfectior. MAR. Nō eſt opinandum ſine cauſa factum eſſe, quod fructum multum attulit, nam ipſe fructus, qui poſtmodum ſequitur actionem, poteſt ipſius actionis eſſe cauſa. EVS. Sic habet. MAR. An non exiſtimas paſsionem Chriſti multum fructum attuliſſe? E V S. Exiſtimo equidem. M A R. Ipſe (ut alia taceam) ſexto ante paſsionem die, quo ingreſsus eſt Hieroſolymam cum ramis palmarum, & mortis ſuæ mentionem intuliſſet, hoc oſtendit utens illa ſpecioſa ſimilitudine grani tritici, quod niſi in terrā miſſum, & mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſin autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Nihil de uita & doctrina dixit, quæ etſi fructuoſa fuerunt, tamen multum illum fructum morti ſuæ adſcribit. Itaq; cognito paſsionis huius fructu, cauſam eius inuentam eſſe dicemus

mus.E V S. Optimè loqueris.M A R. Sed illud quoque optimè, quod fructus huius paſsionis fuit liberatio à peccato, quod impreſsum fuit origini, per quod regno excludebamur, & veluti exules degebamus. Credo te noſſe, quid peccatum ſit, quod noſtri originale nuncupant, quia ab origine deſcendit. E V S. Noui. M A R. Si id noſti, neceſſe eſt te nòſſe quòd vbi Adam primus homo e limo fictus comediſſet de cibo ligni vetito, inuaſit eum tetra libido in partibus obſcœnis, quas & foliis contexit. Intumuerat autem eius ſuperbia, vſque ad Dei ſolium: nam audierat à ſerpente muliere nunciante. Et eritis ſicut dii. Natura autem humana cuius ipſe debebat eſſe origo, inuiſa eſſe cœpit & odioſa Deo propter peccatum ſtipitis: non enim poſteritas, quæ ab vno illo promanatura erat, caruit hac eadem fraude, perinde ac ſi amaritudo radicis arboreos fœtus corrumperet. Peccatum illud non modo perſonam, ſed etiam naturam infecit. quod benè percipiens Apoſtolus aſſeruit omnes in Adam peccauiſſe. Itaque excluſus ipſe & omnis eius poſteritas à regno cœleſti, & æternæ vitæ expers reddita: Oportebat autem, vt regni ianua panderetur, & æternitas vitæ intercepta reſtitueretur, inueniri ex hominum genere quendam, qui primum mundus foret à ſorde conceptionis humanæ, deinde tantum deſcenderet obedientia, quantum Adam ſuperbia aſcenderat. Præterea, qui ipſe omnis peccati expers pro peccatis ſuo ſupplicio diuinæ iuſtitiæ ſatisfaceret, & ſe ipſum, veluti hoſtiam, offerret: talis autem non reperiebatur: omnes enim naſcimur obnoxii culpæ originali, & omnis humilitas & obedientia veterum patrum, qui iuſtè vixerant, vix pro ſe ipſis ſufficiebat, quandoquidem ſine peccatis humana hæc uita non tranſigitur: vitiũ præterea totius humanæ naturæ corrigere, & auferre, nemo hominum poterat quum conditor ipſius naturæ non eſset, nec tanquam caput ui ſua in reliqua membra quicquam influere. Deinde quomodo purus homo, qui eadem labe originis eſset infectus, poſset nos reconciliare Deo, quum ipſe alio egeret reconciliante? Tanta erat difficultas, ſeu uerius impoſsibilitas redimendæ ſalutis. Hic magna & incomparabilis effudit ſe Dei charitas. Vnigenitus nanque Dei filius ſuſcepit ipſe negotium, & homine aſsumpto ex uirgine, & in uirginis utero plus humilitatis & obedientiæ attulit, quàm quantum ſuperbiæ Adam intulerat. Voluit homo aſcendere ad diuina, Deus ad humana deſcendere. Nõne maior hæc humilitas, quàm illa fuit ſuperbia? Nemo negauerit maiorem huius fuiſse bonitatem, & uirtutem, quàm Adæ fuerit proteruia & malitia. Non enim Adam putabat ſe Deum futurum, ſed Deo ſimilem. Iſte autem uerè homo factus eſt. Noluit unigenitus Dei rapere diuinitatem, ſicut Adam cupiebat, ſed quum eam ſine rapina haberet, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, & habitu inuentus ut homo. Et hæc quidem tanta fuit humilitas. Obedientia uerò quanta, quæ ſe demiſit uſque ad mortem crucis? Obtulit ſe Chriſtus puram & immaculatam hoſtiam pro uniuerſo genere humano: & quum Deus pariter eſset, poterat humanam na-

turam

turam, quam fecerat, reficere,& ab originis labe uendicare. Itaque ſacrificauit ſe ipſum(ut ita dixerim) Dei filius, & adeo placitum eſt ſacrificium Deo ut omnia filii meritis cōdonarit. Diligebat nos quidem Deus amore illo ſuo diuino ſingulari: nam, niſi nos dilexiſset, non utique miſiſset filium, qui & redemptor eſset,& redemptionis pretium: Oderat tamen eo more, quo peccata iuſtitiæ inimica ſunt. Itaque reconciliati ſumus eo peccato ſublato, quod à primo parente duxeramus: ſuſtulit autem is, qui pro nobis pependit in ligno,& id cruci ſuæ affixit: ſanguinisque ſui effuſione deleuit: iniuſtè occidit Chriſtus, vt iuſtè nos liberaret. Vbi enim inuentus eſt homo, qui morte indignus periit, tunc ſublatum eſt, quod morte dignus poſteritati cunctæ vulnus inflixerat. Rectè Apoſtolus. Vnus eſt(inquit) mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus. Mediatorem hic poſuit Apoſtolus pro reconciliatore alludens ad arbitrum, qui litem componere curans diſcrepantium amicorum medius inter vtrunque ſedet, & alterum alteri reconciliare ſtudet. Reconciliauit igitur Chriſtus vt homo genus humanum ſibi ipſi Deo: nec ſanè commodior recōciliator inueniri potuit, nec amicior vtrique parti veluti is, qui vtranque naturam poſsideret: rectè autem eam naturam aſſumpſit, quam ſanandam iudicauit. Quid conuenientius? Homo perdidit, homo ſeruauit, ſed homo Deus. Ipſe (inquit Auguſtinus)qui fecerat hominem factus eſt, quod fecit, ne periret id, quod fecit: Sic enim factus eſt homo, ut maneret filius Dei, ſuſcipiendo id quod non erat, non amittendo quod erat: atq; ita in forma hominis, quam ſuſcepit, traditus eſt in opprobrium hominum, in contumelias, irriſiones, in flagella, in mortem crucis denique. Nec aliam ob rem, niſi ut nos inſidiis captos, & ueluti ſub peccati lege uenundatos pretium ſui ſanguinis redimeret,& in priſtinam gratiam reſtitueret, & maiorem etiam gloriam, quàm unquam antea, cōpararet. Vis etiam uidere quòd non alio congruentiori modo delictum Adæ tolli poterat? Delictum eo grauius quo in maiorem poteſtatem committitur: Deo autem nihil maius, nihil ſupèrius: quin quum infinitus ſit, infinita pœna debetur pro ſcelere, quo infinita perſona offenditur: talem autem pœnā nemo hominum idoneus erat perſoluere. Factum eſt igitur, ut infinita Dei ſapientia humanam carnem aſſumeret, ut in infinito ſubiecto infinitam lueret pœnam debitam ſceleris magnitudini: atque ita iuſtitiæ pariter & miſericordiæ partes impleret: Iuſtitiæ enim fuit pares pœnas luiſſe: miſericordiæ uoluiſſe, quum harum pœnarum non eſset debitor. Sunt enim iuſtitiæ & miſericordiæ in Deo æqualia pondera, ideò utroque uſus eſt, tametſi nobis pius magis & clemens, quàm iuſtus uideatur. Propterea quòd plura miſericordiæ opera, quàm iuſtitiæ in nobis relucent. Hinc occurri poteſt cogitationibus quorundam minus prudentium. Quid non poterat Dei ſapientia homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & de fœmina naſceretur, & ab impiis impia pateretur? Iſtis talia cogitantibus dicimus potuiſse Deū alio quouis modo homines liberare. Quis enim neget omni-

omnipotentem? Sed hunc tamen mo dũ veluti cõgruentiorem probaſſe: Ordinem namque illum ſuum ſequutus eſt, qui adeò æquitate pollet, vt ne Diabolus quidem ipſe improbare poſsit, quo ſtatuit non alia ratione peccatum quàm pœna aboleri: Nõ enim Diabolus vi coẽgerat primos noſtros parentes peccare, vt vi ipſe quoque eſſet ſuperandus, ſed ſuadelis ipſos ceperat decepta fœmina & deiecto per fœminã viro, hoc modo trahebat homines veluti iuſto bello captos, quos inſidioſis ſermonibus vicerat, & prædam ille ſuã eſſe omnem ducebat: nec ad cœleſtia regna remittebat. Venit vnigenitus Dei filius, qui homine aſſumpto culpam illam pœna ſua deleret, cõtraria omnia faciendo, quàm quæ fecerat Adam: nam illius peccati rei tenebamur, ille ſuperbus, iſte humilis: ille inobediens, iſte obediens: ille in peccato gauiſus eſt, iſte in pœna doluit: infinita perſona fuerat offenſa, infinita perſona pariter ſatisfecit: ergo reſtituit homines in locum ſuum. Nec conqueri poteſt homines vnius vitio captos, alterius meritis fuiſſe ſeruatos, nec obtendere poteſt diuinæ iuſtitiæ ſatisfactum non fuiſſe, ſibi vim adhibitam, quoniam peccatum illud, quod regni ſui fuerat firmamentum, ablatum eſt eo more, quo peccata tolli conſueuerunt: non enim ſolum in corporis, ſed etiam animi morbis contraria contrariis curantur. Vide ſummi Dei clementiam, & bonitatem, qui non continet in ira miſerationes ſuas. At quomodo miſeratus? qui, vt redimeret ſeruum, crucifixit filium. Itaque ſi princeps quæratur cauſa, cur Chriſtus tanta perpeſſus eſt: dicendum, ut culpam primi parentis uitio ſuſceptam obedientiæ ſuæ merito extingueret, ne impedimento eſset ad cœleſte regnum, ſed illò ingreſsi æternæ uitæ præmiis frueremur. Qua ratione factum eſt, ut Chriſtus poſt eius mortem ante reſurrectionis ſuæ diem inferna peteret, & animas ſanctorum patrum, quas illic Diabolus captiuas retinebat peccato Adæ tanquam prælio ſuperatas, de carcere illo tenebroſo educeret, & ſecum ueluti in triumpho ad cœleſtem regiam deduceret: patrique ſpolia illa opima offerret. Nemini nunc poſt baptiſmum culpa primi parentis imputatur. Quid ita? quia baptiſmo deletur. Quid dico culpam primi parentis baptiſmo deleri? Quum etiam, quæ antè admiſimus peccata proprio arbitrio, idem baptiſmus fundatus in Chriſti ſanguine extinguat. At poſt baptiſmũ quædam cõmittũtur peccata ſeu fraude, ſeu imbecillitate humanæ naturæ quæ appetitum ad decliuia pronum rapit, hæc quoque per pœnitentiam in eodem Chriſti ſanguine dimittuntur. Ipſe in humanis agens pœnitentiam prædicabat, & diſcedens iuſsit prædicari omnibus gentibus in remiſsionem peccatorum. Semper antiquiſsima cura fuit hominibus quærere, quomodo expiari poſsint peccata, uidebãt nanque de humanæ naturæ imbecillitate ſe aſsiduè inuolui peccatis, multa etiam ob nequitiam publicè priuatimque fieri ſcelleratè, ideò expurgatione opus eſse: hanc autem natura non contingere, ſed artificio fortaſse quodam: artem igitur huiuſmodi eſse quærendam, mos autem ille communis erat gentium ſacrificiis pecudum ad ex-

purgationem uti peccatorum, his ritè adhibitis iratorum Deorum numina placari,& peccata aboleri cenſebant. Plerique ad magorum incantationes,& ſacrorum quorundam initiationes, quas uocabant teletas, confugiebant, quemadmodum Adimantus penes Platonem in ſecundo de Republ. refert, & Auguſtinus in libris de Ciuitate Dei proſequitur. Memini me etiam legere conſuetudinem quorundam populorum fuiſse quotannis hominem in carcerem coniicere, quem publico ſumptu alerent generosè, mox exeunte anno, è carcere eductũ, dicentes ſe ſuper eum omnia peccata imponere, uerberibus & omnibus contumeliis afficiebant, & tandem extra ciuitatem eiectum interficiebãt,& ita ſe ſolutos omni crimine arbitrabantur. Apud Iudæos offerebantur iuſsu legis ſacrificia pro peccatis, quæ per ſe minus ualuiſsent, niſi illa tam multa ſacrificia huius unius fieri ſacrificii, quod pro nobis Chriſtus in cruce pertulit, imaginem referrent. Quòd ſi tantum ualuit imago pro dimiſſione peccatorum, ipſa ueritas quantum poſse debet? Nos autem ſic habemus, ſic confirmamus nullibi, niſi in Chriſti ſanguine remiſsionem peccatorum contingere, & iſtud eſt euangelium, id eſt bonum nuntium, quod (ut dixi) iuſsi ſunt Apoſtoli prædicare in omnes gentes, pœnitentiam ſcilicet in remiſsionem peccatorum. Nullius hominum uita ducitur ſine peccatis, ſub uenia uiuendũ eſt nobis, hæc baptiſmo & pœnitentiæ cõceditur, quæ duo, ut eſſent medicamenta animorũ noſtrorũ, ille Dei & hominũ mediator ſanguine ſuo conſecrauit, non eſt opus iam ſacrificiis, niſi interpretemur hoc eſse ſacrificium, ubi quis moritur concupiſcentiis ſuis, ut uiuat Deo: hoc fateor maximum eſse & perfectum ſacrificium,& magnopere amplectendum, opus quoque miſericordiæ erga proximum conferre, hoc etiam ingens ſacrificiũ. Admonet author epiſtolæ ad Hebræos. Benefacere (inquit) & communicatores eſse nolite obliuiſci. his enim ſacrificiis Deus delectatur. Idem quoque ad Ephesios. Eleemoſynam collatã in pauperes hoſtiã uocat acceptã,& Deo placentem. EVS. Nihil dicis de die expiationis, quam celebrabãt Iudæi. MAR. Rectè admones: ſcio enim quòd præter multa ſacrificia, quæ offerebantur apud illos pro peccatis, erat etiã ſtatuta expiationis dies, ea erat decima ſeptimi menſis, qua pontifex indutus pontificalibus ueſtibus ingrediebatur ſancta ſanctorum, nec enim alia die licebat, & ſolus quidem ingrediebatur nemine comitante. Verum ſi omnia eius diei ſolemnia, quibus expiatio fiebat peccatorum commemorauero, in longum progrederer ſermonem, & non neceſſarium, quum in Leuitico deſcripta ſint omnia. Illud tantum referam, quòd illo die pontifex ornatu amictus pontificio, quum ſolus ingredi deberet ſancta ſanctorum, ubi inerat arca fœderis, propitiatorium & oraculum: una manu aſsumebat prunas ſumptas de altari in turribulo, altera ferebat compoſitum thymiama, ingreſsus intra uelum adolebat thymiama prunis impoſitũ. ex quo ſuauiſsimus odor aſcendebat,& ueluti nube quadã oraculum tegebatur. Antea tamen orans pro ſe & domo ſua & uniuerſo populo uitulum im-

molabat

molabat. Illud etiã memorandũ, quòd quum pontifex ſuſcepiſset ab vniuerſa multitudine hircos duos, ſortem ſuper vtrũque ponebat: & eũ, qui contigerat domino, & ſors domini vocabatur, immolabat: & inferens eius ſanguinẽ intra velum aſpergebat ſepties digito è regione oraculi, vt expiaret ſanctuarium ab immunditiis filiorum Iſrael & à præuaricationibus eorum cunctiſq; peccatis. Alterum verò hircum viuentem, qui emiſsarius uocabatur, ſtatuebat coram ſe, & poſita utraque manu ſuper caput eius confitebatur uniuerſa delicta atque peccata populi, quæ imprecans capiti eius emittebat illum per hominem paratum in deſertum, & quum portaſſet hircus cuncta populi peccata in terram ſolitariam, & dimiſſus fuerat in deſerto, tunc pontifex poſitis ueſtimentis pontificiis lauat carnem ſuam in loco ſancto, & proprias aſſumens ueſtes, holocauſta offert pro ſe & populo, & cætera peragit in lege deſcripta: illo expiationis die affligebant Iudæi animas ſuas, id eſt ieiunabant. Hoc, quod de hirco emiſſario dictum eſt, haud diſsimile uidetur his, quæ à Populis quibuſdam fieri retuli, dum pro expiatione peccatorum homini cuidam peccata omnium imponerent, & extra muros electum necarent: differt tamen, quòd iſtud crudele eſt & inhumanum, & ex humano fiebat inuento: hoc Iudaicum pium, & diuino iuſſu imperatum. Vel ſi quis ſtomachetur ob hanc expiationem pontificiam peccatorum, quæ olim apud Iudæos celebrabatur, ſciat ne eam quidem Deo placuiſse ut perfectam, ſed nt rudem, & inchoatam, & umbratilem: figuram enim gerebat huius expiationis, quam Chriſtus uerus pontifex ſuſcepit. Quid enim ait idem Apoſtolus ad Hebræos inſtruens eos in fide? Chriſtus (inquit) aſſiſtens pontifex futurorum bonorum peramplius & perfectius tabernaculũ non manu factum, id eſt non huius creationis. neque per ſanguinem hircorũ aut uitulorũ, ſed per propriũ ſanguinẽ introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta. At non uno tantum loco, ſed per omnem ferè epiſtolam docet Apoſtolus, quòd Chriſtus unus eſt ille uerus põtifex, qui uenit, ut emundaret populum ſuum à delictis: quòdam enim loco ita inquit. Talis decebat, ut nobis eſset pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & cœlis excelſior factus, qui non habet neceſsitatem quotidie (quemadmodum ſacerdotes prius) pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde populi: hoc enim fecit ſemel ſe offerendo. Eadem repetit inferius. Non enim inquit in manufacta ſancta Ieſus intrauit exemplaria uerorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc pro nobis uultui Dei. Neque ut ſæpius offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno, ſed ſemel oblatus eſt per hoſtiam ſuam ſine peccato ad exhaurienda multorum peccata. Summatim autem ut expediam, remiſsio peccatorum per Chriſti ſanguinem contingit. Quamobrem rectè dicimus Chriſtum onera noſtra portaſse, peccata omniũ electorum in caput eius eſse retruſa. An non audis Eſaiam clamantem? Verè lãguores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos reputaui-

mus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos qnaſi oues errauimus, unuſquiſque in uiam ſuam declinauit, & poſuit domi nus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Satis ne apertè oſtendit Eſaias Chriſtum uulneratum fuiſse, ut nos à peccatis redimeret? uulneribus ergo ſuis noſtra ſanauit, & morte ſua uitam nobis reddidit: nam remiſsionem peccatorum ſequitur uita perpetua, & ea, quæ uerè eſt uita omni referta gaudio. Eſaias ita ſentit redemiſse à peccatis humanum genus creationem ſuam. Voluit, qui creator fuerat idem eſse redemptor. Audiſti Caipham dicere. Expedit unum hominem mori pro populo, ne tota gens pereat. Hoc autem à ſe metipſo non dixit, ſed quum pontifex eſset anni illius, prophetizauit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente, & non ſolum pro gente: ſed ut filios Dei qui erāt diſperſi, congregaret in unum. Dictum eſt etiã à Ioanne præcurſore. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, teſtatur Ioannes eum eſse hoſtiàm pro peccatis, dum agnum appellat. Hac ratione Angelus annuncians conceptionem. Vocabis (inquit) nomen eius Ieſum: nomen Hebraicum Ieſus latinè ſonat ſaluator. Idem dictum eſt Ioſeph Mariæ uiro in ſomnio. Vocabis nomen eius Ieſum: hic addit cauſam apertiſsimè. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Non pollicetur amplitudinem opum, imperium populorum, uictorias, triumphos, ſed ſalutem. A quibus? Num à Romanis, in quorum uniuerſus ferè orbis erat poteſtate? Non, ſed à peccatis, à quibus detineri longè durior eſt ſeruitus, quàm ſeruire hominibus Romanis, ſiue aliis quibuscunque. Et Chriſto iam nato Angelus dixit paſtoribus, quia natus eſt hodie uobis ſaluator. De poteſtate Diaboli ablata, quapropter peccatum captiuum detinebat humanum genus, & ſibi ſeruiebat in idolorum cultu, extat ipſius ſermo, quem urgente paſsionis die protulit. Nunc (inquit) iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Paulus ad Coloſsenſes aſserit Chriſtũ principatus & poteſtates contrarias in ligno crucis triumphaſse, & chirographum peccatorum, quem aduerſus nos tenebant, ſanguine ſuo deleuiſse. Ioannes quoque in prima epiſtola ait Deũ veniſſe, vt opera Diaboli diſſolueret. Non enim venit vt captiuus captiuos diſsolueret, ſed vt liber ab omni captiuitate afferens pretium ſecum ſanguinem ſuum: O magnã paſſionis huius dignitatem, O ingentem gloriam. Hæc nos perditos Deo reſtituit, hæc filios adoptionis effecit, hæc Chriſto coheredes reddidit. Et hanc quidem habeo præcipuam cauſam, cur unigenitus Dei filius in humana natura, quam aſsumpſerat, iſta tam triſtia ſubire uoluerit: ut ſcilicet peccata mundi tolleret: quemadmodum de eo à Ioanne præcurſore dictum eſt, & ut aditum ad cœleſtia regna patefaceret. Ille quum in forma Dei eſset, nec rapinam arbitraretur ſe æqualem Deo, exinaniuit ſemetipſum, & fomam ſerui ſuſcepit, & mali quidem ſerui (ſi fas eſt dictu) vt verberaretur, & crucifigeretur,

retur non tamen pro ſuis ſed alienis peccatis. Enimuero, ſi Adam non peccaſſet, non introiſſet mors in orbem terrarum, non in vallem hanc miſeriarum detruſi eſſemus: cuncti in illo ſublimi deliciarum paradiſo beatam vitam agitaſſemus, ſine morbis, ſine dolore, ſine vlla vexatione, & tandem tranſlati ad ſupernas ſedes Deum in beatifico maieſtatis ſuæ folio ſedentem (quæ ſumma eſt fœlicitas) vidiſſemus. Non fuiſſet opus redemptore, qui innocentiſsimus ipſe pro nocentibus lueret pœnas, & vicem noſtram in ſuppliciis ſuſtineret. Nunc (vt ait Auguſtinus) ex Adæ peccato infirmi facti ſumus omnes, morbi peccatorum mundum inuaſerunt, magnus venit medicus, vt ſanaret, quia magnus etiam iacebat ægrotus: & nouo quidem more omnipotentiſsimus ſanauit ægrotum, poculum bibens ipſe turbulentiſsimum & omni amaritudine refertiſsimum. E V S. Nouum ſanè medicinæ genus, quod ſumptum à medico ſeruat ægrotum. M A R. Eſt ita profecto, aſpice quæ dicat ipſe penes Ioannem. Sic enim Deus dilexit mundum, ut unigenitum ſuum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Intellexiſti, quæ loquutus fuerit ipſe? Vt autem intelligatur, quòd mundum per crucem ſaluaret, oſtendit ex ſuperiori ſententia, ex qua ad hanc venit. Sicut Moiſes (inquit) exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, exaltationem autem ſuam vocat crucem alludens (ut dixi) ad altitudinem erecti ligni. Hoc etiam indicauit Apoſtolus Paulus ad Epheſios dicens habere nos redemptionem in ſanguine eius, & remiſsionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ ſuæ, quæ ſuperabundauit in nobis. Hoc etiã apertè Apoſtolus denũciauit Corinthiis. Tradidi (inquit) in primis uobis quod & accepi, quòd Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundũ ſcripturas. Idem Paulus ad Timotheũ diſcipulum. Fidelis ſeruus & omni acceptione dignus, quòd Ieſus Chriſtus uenit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Idem iterum ad Corinthios ſcribens & de Chriſto loquens ait. Quòd Deus eum, qui non nouerat peccatum, fecit pro nobis peccatũ. Non potuit Paulus breuius & expreſsius docere Chriſtum eſſe mortuum pro peccatis, quàm dum dicit eum factum eſſe pro nobis peccatum: nam in ueteri lege hoſtia, quæ pro peccatis adducebatur, puta hircus, uel aries, uel aliud quid ſimile, peccatum nuncupabatur, quemadmodum ab Auguſtino relatum eſt, ubi adducit illud ex Numeris. Et dicit dominus ad Aaron. Tu, & filii tui, & domus patris tui tecum accipietis peccata ſanctorum & ſacerdotum, quod ita accipiendum eſt, ac ſi diceret, ut accipietis ea, quæ ad ſacrificia offerebantur pro peccatis. Simili loquutione dictum eſſe ait ueteri in lege frequenter de ſacerdotibus, ut imponerent manus ſuper caput peccati id eſt uictimæ, quæ pro peccato offerebatur. Hinc apud Oſeam dicitur. Peccatum populi mei comedent: loquitur enim ibi propheta

de

de ſacerdotibus, qui ex lege comedebant hoſtias pro peccatis oblatas & eas peccatum vocat. Chriſtum ergo Deus pro nobis fecit peccatum, id eſt, hoſtiam pro peccatis noſtris, immaculatam ſcilicet, quia non noverat peccatum. Sed ex eo etiam colligi poteſt peccatorum gratia Chriſtum in mundum veniſſe, quòd, quum in humanis ageret, cum peccatoribus uerſatus eſt. Quod quum Iudæi elati tumore falſæ iuſtitiæ obiicerent, reſpondit. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. & Non opus eſt medico benè ualentibus. & alibi. Filius hominis venit quærere, & ſaluare, quod perierat. Et ecquæ alia cauſa inueniri poterit, cur venerit? Non enim illum de cœlo in terras bona merita noſtra, aut vllæ aliæ beatitudines duxerunt. E V S. Magna profectò dilectio Dei erga nos. M A R. Magnam dicis, ac non potius longe maximam. Quid enim reliquit, quo ulterius progredi dilectione poſſet? Cogita quæſo, quis ille? Hūc enim Deum nō timor creauit, error effinxit, opinio hominum induxit, ars fabricauit, fortuna aut caſus effudit, natura quædam genuit, tempus oſtedit, ſed ſine ullo initio ab æterno unicum erat ille & uerum ens per ſe uigens, & per ſeipſum ſubſiſtens, immenſum, infinitum, omnipotens, immutabile, quod nō poteſt nō eſſe, quod ſemper fuit, eſt, erit, omnia continens, à nullo cōtentum, per quod omnia, & in quo omnia, & ad quod omnia: cui quæcunque excelſiora ſunt in rebus creatis, comparata ſordeſcunt, à ſe ſolo, & in ſe ipſo ſolo beatum, glorioſum, magnificum. Hæc tanta maieſtas, tanta ſublimitas, tam magna potentia, tam immenſa beatitudo vſque adeò ſe dimiſit, ut infima hæc noſtra, imbecilla, miſera, ærumnoſa ſuſciperet honoris & ſalutis noſtræ cauſa, hæc enim humana homo factus ſuſcepit: nam & affectibus mouebatur humanis, & illum fames & ſitis, æſtus & frigora, itinera, labores fatigabant, nec id ſatis: ea etiā, quæ ſunt inter homines ignobiliora, ſumpſit. Quid ſigni? Nullæ diuitiæ, nulla lautorum amicorum cohors, nullus ſatellitum ſtrepitus, nullus armati exercitus terror, nulla auri argentiq; pompa. Contra, ſumma inopia, egeſtas rerum omnium: ita vt non haberet (ſicut ipſe quandoq; dixit) vbi caput reclinaret. Atq; hæc diſciplinæ gratia. Et fortaſſe dixerit aliquis hæc eſſe mediocria: at illa non mediocria mala: liberationis noſtræ cauſa in vincula, alapas, irriſiones, ſputa, ſpinas, flagella ſe ſe conicere, demum crucem conſcendere, quod ſeruorum antea, & famoſorum latronum erat ſupplicium tormentorum omnium horribiliſimum. Quantum ſe oſtendit amare, qui tanta pro nobis pertulit? Immortalis ipſe pro mortalibus, iuſtus pro iniuſtis, Deus pro hominibus? Hæc lex naturæ non videtur admittere. Sed (vt eſt apud Boetiū) Quis legē dat amantibus? Amor maior eſt lex ſibi. Oſtendit illo facto quem in rebus dilectionis locum homines apud ſe teneant, magnum ſcilicet & grauem. Si leuia perpeſſus eſſet, poterat calūniari aliquis, & dicere leuem illum fuiſſe amorem: at in grauiſsimis multiplicibusq; pœnis quis negauerit non vehementem fuiſſe dilectionem? Quæ ſui oblitum impulit amicorum cauſa illa perferre? Et ſpontè quidem perferre? nam prohibere poterat.

Quid

Quid illis ſuppliciis quæſo addi potuit? mors ipſa,at pro nobis mortuus eſt. Etecquod ſignum maius dilectionis quærimus? Ipſe poſt glorioſam illam cœnã, qua accubuit cũ diſcipulis iam ad ſupplicia & mortem iturus, hoc ipſum oſtendens quantũ eos diligeret. Nemo(inquit)maiorem hac dilectionem habet, quàm vt animam ponat pro amicis ſuis. Antea etiam dixerat. Quod diligit eũ pater, propterea quòd ponit animam ſuã pro ouibus ſuis. Etenim (vt ad humana rem trahamus exempla, & ad cõmunem hominũ ſenſum)ſic exiſtimamus, ſic iudicamus non inueniri maius dilectionis pondus, quàm vbi quiſpiam mortem oppetit, vt alter ſeruetur: & prioribus ſæculis inuenti ſunt nonnulli, qui hæc præſtiterunt: vt Niſſus ille penes Virgilium, qui pro Euriale morti ſe obiecit.

*Me me adſum, qui feci, in me conuertite ferrum.*
*O Rutuli: mea fraus omnis, nihil iſte, nec auſus,*
*Nec potuit: cœlum hoc, & ſidera conſcia teſtor.*

Et commotus tantæ rei ſpectaculo poëta ſubdit.

*Tantum infelicem nimium dilexit amicum.*

Et deinceps hoc facinore delectatus Poëta.

*Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt.*
*Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.*

Simile quiddam de Pylade & Oreſte legitur, vt alter mori pro altero præoptauerit, præferens ſuæ amici ſalutem. Sed & Decii inuenti ſunt, & Curtii, & Codri, qui pro patria vitam profuderint. Et ſcriptum eſt penes Catonem in Originibus legiones uniuerſi exercitus conuerſandi cauſa eum in locũ profectas, unde redituras ſe nõ ſperabãt. Hoc autem reputatur extremũ amoris diſcrimen uitam, quæ mortaliũ omnium chariſsima eſt, & pro qua chara ſunt reliqua, pro alterius ſalute proiicere: Itaque qui non id poteſt, ultimos amoris fines nondum attigit. Hoc, quod uidebatur eſſe ultimum humanorum amorum, Chriſtus ſupergreſſus eſt. Illud enim quod ipſe dixit, Nemo maiorem hac charitatem habet, quã ut ponat quis animã ſuã pro amicis ſuis, ad homines pertinet. At flagrantiſsima illa Dei charitas pro inimicis ſe morti obiecit. Inuenti ſunt nonnulli, qui inimicos diligerent, & re etiam ipſis & opera bene facerent. Si numerum requiras, non admodum placebit: nam pauci ex omni hiſtoria tales reperiuntur. At quis hominum pro inimicorum ſalute mori ipſe delegit? res exemplo caret, hoc ſupergredi humanæ naturæ conditionem uidetur: uerumtamen id Deus impleuit. Inimicitiæ erant inter nos & Deum de peccato primi parentis: omnis caro corruperat uiam ſuam, adeò quòd prophetico ore dctum ſit: Non eſt, qui faciat bonum; non eſt uſque ad unum, naſcimur etiam nunc filii iræ. Vnuſquiſque qui naſcitur ex uiro & fœmina (naſcimur autem ſic omnes) Adæ eſt propago, damnatus ex damnato. Hæc cum eſſent, Chriſtus pro nobis obtulit ſe ad mortem, inimicis ſcilicet, ut amicos, quãtum poſſet, faceret: quod euidenter expreſſit Apoſtolus: Cõmen

dat (inquit) Deus charitatem ſuam in nobis, quia quũ eſſemus inimici, Chriſtus mortuus eſt pro nobis. Ergo nõ amabat nos antea Deus? amabat quidem naturam noſtram, quam condidit, ſed oderat iniquitatem, quam non condidit: hæc enim ab artis ſuæ regula aliena eſt, imò contraria, quum uitiet, quod ille fecit: ideo maiori digna odio: & tamen exiſtenti huiuſmodi odio ſaluos nos ſiſtere uoluit in ſanguine filii ſui, ne id quod fecerat, periret: non enim moris ſui, non amoris obliuiſci poterat, inimicos etiam diligebat. Hinc elici poteſt, quantum hominem à ſe nuper formatum diligere dignatus ſit ante culpam, qui poſt culpam ſic dilexerit, & quantum nunc etiam poſt tantum beneficium impenſum diligat: natura enim affert, vt eos, in quos beneficia contulimus, ſi non merito illorum: at beneficio noſtro diligamus. Et vt breuiter hanc rem perſtringam, voluit omni tempore plus Deus amari, quam metui. Sed hoc nunquam melius, quàm cruce declarauit: nam illic confixus, quantum amaret, docet, & qui tantum amat, redamari poſtulat. Non amat ille diuitis diuitias, non pulchri pulchritudinem, non potentis imperium, nõ philoſophi ſapientiam, non diſerti facundiam, non artificis acumen: ſed benè mutuis Fidum pectus amoribus; hoc enim unum de nobis expetit, alia ſuperiora omnia prout uiſum eſt, affluenter ipſe donat, nec improperat. Hæc & alia ſpectans Diuus Bernardus conuerſo ad Ieſum ſermone exclamabat. Super omnia te reddit amabilem ò bone Ieſu calix, quem bibiſti, opus redemptionis tuæ: hoc enim amorem noſtrum facilè totum ſibi vendicat hoc & blandius allicit, & iuſtius exigit, & citius aſtringit, & uehementius afficit. Etenim ubi te exinaniſti, & naturalibus radiis te exuiſti: ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulſit: ibi gratia amplius radiauit. Age quantum illud, quòd tale cernentes ſpectaculum, maiorem pro rebus noſtris fiduciam habemus: nam ut utar Apoſtoli ad Romanos uerbis. Qui proprio etiam filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Reuertitur nunc ſuperior ille ſermo. Ita nè uerò Deus non pepercit filio ſuo, ut ſeruo nequam parceret? Et (ſi fas eſt dictu) Siccine crudelis fuit in ſe ipſum? (non enim ipſe aliud à filio) ut nos clementiam eius & benignitatem experiremur. Quantis extulit præconiis, & quibus laudibus Deus facinus illud Abrahæ, qui iuſſus iugulare, & uictimam facere Iſaac filium unigenitum, id facere non diſtulit, ſed iniiciens in puerum manus paratus erat immolare. Quæ & quantæ promiſsiones tunc ad eum factæ? quòd multiplicaret ſemen eius ſicut ſtellas cœli, & arenam maris, & poſsideret ſemen eius portas inimicorum ſuorum: maximum illud quòd in ſemine ſuo uniuerſæ benedicentur gentes: nam tunc promiſſum eſt de ſemine eius oriturũ Meſsiam. Si maximã exiſtimamus Abrahæ erga Deum fuiſſe charitatem eo, quòd filio ſuo non pepercerit, quam charitatem Dei etiã iudicio commendari uidemus, propter quam tot illæ promiſsiones, & promiſſionum euenta eſt conſequutus: quanto maiorem Dei charitatem erga homines

nes

nes in eodem facto conuenit opinari? Nam Abraham filium mortalem occidere cogitabat, Deus immortalem, & ſibi in maieſtate, & gloria coæqualem: Abraham Deo parere neceſſe habuit, Deus nullius imperium ſequutus eſt, ſed de beneplacito voluntatis ſuæ id peregit. Omnia debebat Abraham Deo & non ſolum debebat filium, ſed etiã ſeipſum. Deus nihil vnquã humano debuit generi: ſed econuerſo humanum genus ampliſsimis Dei beneficiis tenebatur. Poſtremò Iſaac non eſt immolatus. Vnigenitus autem Dei filius acerbiſsima morte cõfectus eſt. Incomparabilis ergo Dei charitas eſt, inimitabilis, qua nos ſibi deuincire voluit. Antea beneficia plurima hominibus contulerat & ea maxima. Vnum hoc impudentiſsimè aliquis poſtularet, vt homo ipſe fieret, & pro hominibus vitam effunderet: ne hoc quidem deeſſe voluit, vt nullum eſſet beneficium, quod nobis non cumularet. Hoc enim quod quis impudentiſsimè poſtulaſſet, ipſe non expectãs preces & rogata noſtra ſponte ſua ab æterno implere decreuerat, & tempore ſuo impleuit. Hanc tantam vim amoris mos etiam fidelium magni æſtimat, quomodo etiam ille æſtimari vult: nam priuatim in domibus, publicè in templis, & multis in locis Chriſtum habemus crucifixum in tabulis, ære, ligno, & marmore, & alia quauis materia: oſtendimus illum patientem, non ſic vndique reſurgentem, & aſcendentem. Quid ita? quia maius eſt charitatem oſtendere, quàm gloriam & potentiam, quod etiam hi, qui erant è gentibus, viderunt: nam Deo optimi & maximi cognomentum addiderunt. Et prius (ut inquit Cicero) optimi quàm maximi, quia maius eſt eſſe beneficum, quàm potentem. Irenæus in commentariis in euangelium in ea fuit ſententia, vt diceret Deum non ſolum per filium, ſed etiam filii ipſius cauſa cuncta creaſſe, quem conſtituit (vt ait Apoſtolus) hæredem vniuerſorum: Hoc enim ante omnia Deum in mente geſsiſſe, vt filium honoraret. Cui conuenit illud Salomonis. Omnia propter ſemet ipſum fecit dominus. Itaque non ſolum debere nos beneficium redemptionis filio, ſed etiam creationis vniuerſæ. Hoc quàm verum ſit, viderint cæteri: altior enim eſt quæſtio, quàm vt nunc diſcutere oporteat: hoc ſimile eſt alteri quæſtioni: vtrum, ſi Adam non peccaſſet, Deus carnem humanam ſuſcepiſſet. Sed vtcunque ſit, illud affirmauerim maius eſſe beneficium redemptionis, quàm creationis; nam quantum ad nos ſpectat, creatio nihil profuiſſet, imò obfuiſſet, niſi ſecuta eſſet redemptio: naſcimur enim filii iræ. Quid? quòd ſine ſenſu naſcimur, cum uoluptate conſeruamur? Adde incredibilem illam uim amoris, quam in redemptione oſtendit, de qua modo agebamus: nam creatio unico uerbo perfecta eſt: at ut redimeret, quanta dixit, fecit, pertulit? EVS. Accipio has cauſas quas affers: imò quas omnes agnoſcunt Deum aſsumpſiſſe hominem, ut pro homine moreretur. Reparare uoluit genus humanum peccato collapſum, & patriæ cœleſti reddere ſuppliciis & uulneribus ſuis, quæ in cruce oſtentat: ex quo factum eſt etiam, ut ex ſanctis patribus, quos infernus carcer detinebat, & ex hominibus piis, qui nunc ſu-

perna conſcendunt, Angelorum ſuppleret ruinas. Hinc elici (ut poſuiſti) poteſt, quanta erga nos charitate flagraret Dei filius, qui innocens ipſe tam dura affici cruce dignatus eſt pro peccatoribus. Sicut enim nobis nihil boni debebatur, ita illi nihil mali: tulit ipſe malum noſtrum, cui non debebatur, ut bonum nobis largiretur ſuum, quod non merebamur. Ingens dilectio præſertim erga male meritos. Sed dum memoramus Deum amoris noſtri cauſa noſtra ſuſcepiſse, & ſua nobis dilargitum fuiſse, uenit in mentem quiddam, quod olim in libello amatorio lectitaui: Subſiſto an exponam. Audi tamen nam non longa eſt fabula. Fertur mulier quædam inſignis ſpecie duos habuiſse iuuenes amore eius implicitos, & quos illa uiciſim peramabat. Horum utrumque quum ſemel habuiſset in conſpectu, & coronata eſset floribus, coronam ſibi detraxit, & alterius capiti impoſuit, alteri uerò coronam, quam ille geſtabat, detraxit, & capiti ſuo impoſuit. Quæſitum eſt inter ſpectatores, & multum diſputatum, quem duorum magis amaret; an eum, cui ipſa ſuam coronam dederat, an alterum à quo ſibi ſumpſerat. MAR. Pulchra quæſtio, in qua multa utrinque afferri poſsent. EVS. At nunc diſputationi non eſt locus: nam utrumque à Deo habemus, ut nuper memorauimus. Nam & noſtra ſuſcepit, & ſua donauit. Suſcepit enim noſtri cauſa homine aſsumpto labores, & miſerias noſtras, odia, inimicitias, contentiones, conuitia, irriſiones, uerbera, crucem, mortem. Donauit autem nos requie, tranquillitate, ſecuritate, immortalitate, & (ut ſemel dicam) beatitudine abſoluta, atque perfecta. Dubitari autem in eo poteſt, utrum maius amoris indiciũ, an quod noſtra ſuſceperit miſera, uel ſua beata donarit. Ego neutiquã dubitauerim, quin maximũ ſit amoris indiciũ tantis homines donaſſe muneribus, quãta ĩ cœleſtibus ſuſcipiemus. Sed haud ſcio, an par ſit illud, quod noſtri cauſa ingẽtia mala pertulit. Illud uerò quòd uel homo fieri uoluerit quãti eſt? Ego maximũ reputo, quòd cõmunem uoluerit nobiſcũ habere naturã & frater quodammodo fieri, qui erat dominus. Qua in re prælati Angelis ſumus: non enim (ut inquit ad Hebræos Paulus) Angelos aſsumpſit, ſed ſemen Abrahæ, ex quo factum eſt, ut ibidem ſubdit Apoſtolus, quod non habemus pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Poſſumus tamen omittere, quod dubitationẽ habet idoneã: Vtrũ duorũ maius ſit iſtorum, quæ diximus, amoris indicium. Illud firmiter tenendum nihil reliquiſse Deum, quod poſset uehementem amoris ſui ignem in pectoribus noſtris incendere qui & miſeriam nôſtram ſibi, & fœlicitatem ſuam nobis communem eſſe voluit. MAR. Hæc dicta ſunt antea, & placet, quod approbes, & quod nouo quodam more ă te dicuntur. EVS. Sit hæc (ut perhibetur) princeps cauſa inſtauratio, & ad ſuum finem perductio humani generis. ſed cur non ſtatim poſt peccatum hæc facta fuit inſtauratio, quòd ſi ſtatim fieri non debuit, cur non in finem mundi dilata? Sic enim quæri poſſe video. MAR. Medio

tempo-

tempore fieri debuit, ut non fuerit mundi initium, nec finis ſpectandus. Vis audire, cur non conueniens fuerit ab initio ſtatim poſt peccatum? Quia, quum à ſuperbia peccatum prouenisſet, oportebat, ut homo cognoſceret ſe liberatore indigere, & tentaret, num ſeruans legem naturæ, aut Moſaicam, aut quamuis aliam legem id conſequi poſſet. Vbi poſſe multo in tempore non cognouiſſet, tum ſubditus clamaret ad Deum, & auxilium ſubditus, & ſe ipſum deiiciens poſtularet. Diceret homo, ſi ſtatim liberatus, & à Deo ſalutem conſequutus fuiſſet, ſe potuiſse ſuis viribus, ſuisque operibus liberari. Nunc ſublata eſt hæc oratio dato tempore tentandi, quid per ſeipſum efficere poſsit. Tum demum ægrotus beneficium ſalutis agnoſcit, & ſummo medico gratias agit, vbi grauitatem morbi agnouit, & alium liberatorem inuenire non potuit. In finem verò ſeculi quare non dilata eſt hæc inſtauratio? Suauis profectò es homo Euſebi, ſi tantum uniuerſitatis bonum, tantam diuinæ bonitatis gratiam, tantam veritatis lucem plus differri oportuiſse cenſes, quàm neceſse eſset. Quid enim expectaret ille finem ſeculi, vt id ageret, quod antea rectè fieri potuerit? Relinquenda hæc ſunt Deo, qui ut rerum pondera, ita & omnium temporum nouit articulos; humanam autem hæc effugiunt prudentiam, niſi, quòd illud rectè videmus, quicquid à tanto rerum præſide datur & quo tempore, id alacriter ſuſcipiendum, tanquam omnia iuſtè & ſapiẽter peragantur. E V S. Ego de Dei ſapientia nequaquã dubito, tento tamen, ſi qua ex parte prælucere nobis poſsit, quo maiores ei gratias habeamus, qui hoc nos etiam donarit munere, vt in quædam etiam eius arcana introeamus. Quòd ſi tempore aliquo factum eſt, id factum eſt tempore nouæ legis, quod plurima gratia abundat. Ipſe enim in euangelio dixit tempore huius paſsionis vocare ſe iam nos non ſeruos, ſed amicos, quia ſeruus neſcit, quid faciat dominus: ipſe autem, quæ à patre accepit, hæc nota fecit. Et eodem ſermone ad futura reſpiciens pollicetur ſe ſpiritũ paracletum miſſurum, qui omnem docebit ueritatem. Quamobrem & maiores noſtri in Chriſti diſciplina eruditi multa inquiſiuerunt, & de his idoneas cauſas attulerunt, ſicuti tu modo feciſti; aperiens qua ratione factum fuerit, ut neque ſtatim poſt peccatum redemptio generis noſtri facta fuerit, neque ad extremum mundi tempus reſeruata: omnia iuſtè ac prudenter hac in quæſtione à te dicta fuerunt, quæ (ni fallor) à theologis noſtris accepiſti. Itaque non ceſso, ſed illud pariter audire cupio: nam per Chriſti paſsionem & mortem peccatum, quod Adam contraxerat in frangendo diuinum mandatum, fatemur ablatum. Sed cur ſolum peccatum ablatum, ac non etiam ea, quæ propter pecatum conſequuta ſunt? Hæc ſunt mors corporis, morbi, labores, curæ, ærumnæ, mille calamitates, quas quotidie hæc vita experitur; illa etiã ad malũ procliuitas nõ minus remanſit, quæ pariter peccati comes, vel fomes potius habetur: nõ etiã regnum Diaboli penitus ablatum fuit: non enim fruſtra dictum eſt ab Apoſtolo. Non eſt nobis colluctatio aduerſus car

nem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum: quotidie uexant nos tentantes, & ad peccata protrahere conantes, humana etiam ingrediuntur corpora. Manent hæc ablato peccato, ex quo illud conſequitur, non plenè ablatum peccatum, quum eius uirus adhuc reſideat, & inſurgit mirabile illud plus ualuiſſe peccâtis Adæ maleficium, quàm Chriſti ſanantis beneficium. MAR. Noli id impotentiæ Chriſti aſcribere: nam ablato peccato, & mortem, & morbos, & erumnas, & tentationum laqueos, & alia peccati illius conſectaria abſtuliſſet, ſi hoc illi ſediſſet. De poteſtate igitur non dubitandum: ac ne de uolũtate quidem: quæri tamen de uoluntatis ratione poteſt, quæ uidetur fuiſſe, ut peccatum tâtum tolleret, quod ualde nocebat, quum propter illud aditus ad æternam uitam reclusus eſſet, labores uerò, & dolores, & quæ reliqua premunt incômoda, auferre ſuum non eſſe duxit: quia, ut oportet, piè ſuſcepta & tolerata proſunt, uel ad emendanda peccata, uel exercendam probandamque uirtutem, uel ad monſtrandam uitæ huius miſeriam, ut alterius uitæ beatitudo, quæ à conſtitutione mundi parata eſt piis omnibus, & deſideretur ardentius, & inſtantius inquiratur. Præterea exprimento capere nos uoluit, quâtũ nequitiæ & ueneni eſſet in peccato, quod tot mala ſecum ducere potuit. Nec tamen hæc quæ nunc premũt, erant perpetua, ſed illud magna in ſpe, quod ceſſabunt aliquando, quum ſcilicet in fine ſeculi reſurgemus, nihil tunc nec animis nec corporibus durum patiemur, imò optatiſsima euenient cũcta. Nũc uidetur Adæ peccatum plus ualuiſſe ad ignominiam, quàm Chriſti gratia ad gloriam. Ille ille dies refutabit opere hunc ſermonem; nam (ut ait Apoſtolus) Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto uiuificabũtur. Chriſtus autem ponet inimicos ſuos ſub eius pedibus, nouiſsima aute deſtruetur mors & dicetur. ubi eſt mors uictoria tua? ubi ſtimulus tuus? Non aſcendent in ciuitatem Dei luctus, lachrymæ, gemitus, dolor, & labor, Omnia illic affluent læta, eademque perpetua, ſecura, tranquilla. EVS. His aſsentior, quæ dicis, Verũtamen adhuc quæri poſſe uideo. Cur Chriſtus in ætate iuuenili mori uoluit. Cur in Hieruſalem potius, quàm in ciuitate ſua Nazareth: vnde illi maternum genus, aut Bethleem, ubi in lucem emiſſus & natus fuit. MAR. Faciliora ſunt hæc & leuiora, quæ requiris ad reſpondendum: nam in ætate iuuenili mori uoluit, ut maiorem oſtenderet dilectionem erga nos, pro quibus in ætatis flore uel robore occumbere uoluit: deinde, ut reſurgeret ea in ætate, qua nos pariter reſurrecturos credimus: nam (ut ait Apoſtolus) In plenitudine ætatis, in uirum perfectum reſurgentes illi occurremus. In Hieruſalem quare? quia ibi ſacrificia celebrari ſolebant, & agnus paſcalis, qui in figuram præceſſerat, ibi immolebatur. Chriſtus autem (ut dicitur ad Epheſios) tradidit ſemet ipſum ut hoſtiam & oblationem Deo in odorem ſuauitatis. Deinde hoc exempli cauſa factum eſt: nam ad ignominiam locum celebrem delegit, ad natiuitatem uerò humilem, ne moleſtè nos feramus, ſi in humili

naſcamur loco, & in illuſtri ignominiam accipiamus. Extra muros autem Hieruſalem, ut oſtenderet non pro unis Iudeis tantum, ſed pro uniuerſo humano genere uita defungi, cuius rei figuram gerebat uitulus & hircus, qui ſolenni ſacrificio ad expiationem totius multitudinis extra caſtra offerebãtur. & igni cremabantur, quod non latuit Apoſtolum Paulum, qui ad Hebræos ſcribens in poſtremis eius epiſtolæ partibus. Quorum (inquit) animalium infertur ſanguis pro peccato in ſanctа per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra, propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. E V S. Non poſſum conquieſcere adhuc animo, ita aliud ex alio occurrit: nam illud ſubit quæſtionis genus. Num Chriſtus mortuus ſit pro omnibus? Turbat me, quod Paulus ad Corinthios ſcribens aſſeuerat apertè Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, quod tamē ipſe ſaluator, qui rem geſſit, non ita aſſeuerat. Venit (inquit) filius hominis dare animam ſuam in redemptionem pro multis: & in cœna paſchali in conſecratione corporis & ſanguinis ſui. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Vides uerborum diſcrepantiam? Chriſtus dicit pro multis ſe mori, Paulus pro omnibus. Si quæratur, num hæc duo diſcrepent, uel conſentiant, refert ab utro eorum argumentum euoluere incipiam. Nam ſi ita dico Chriſtum mortuū eſſe pro omnibus, conceditur mortuum eſſe pro multis, ſed non conuertitur, ut ſi pro multis, ſit etiam pro omnibus. hic ego ſubſiſto & fluctuo. Chriſtus mortuus pro omnibus qui nam omnes requiro. Num impromiſcuè omnes ſalutem adipiſcuntur? Ergo infernus carcer & tortores fruſtra parati? Si autem dicimus pro multis, non admirabile ſit è tanta multitudine aliquos eſſe ſaluãdos. Sed quomodo omnes, ſi tantum aliqui ſaluandi ſunt? non enim particularis locutio in uniuerſo notari poteſt. Hoc, quomodo ſe habeat, gratum fuerit, ſi expedieris. M A R. Quid ergo? tu dubitas Chriſtum pro omnibus non eſſe mortuum? E V S. Audiſti quæ dixerim nuper. M A R. At illud hoc tibi potuit oſtendere. Fateris nanque (ut opinor) ſanguinem Chriſti & eius mortem pretiū eſſe redemptionis noſtræ. E V S. Quid ni fatear? M A R. Quid illud? Nonne pariter fateris pretium hoc multis partibus pluris eſſe quā uniuerſum mundum? E V S. Hoc quoque fatear neceſſe eſt. M A R. Sufficiebat ergo illud pretium pro omnium redemptione. E V S. Vtique M A R. Quam igitur anguſtiam animi in Chriſto reperis, quam inuidiam, quam illiberalitatem? ut uellet tantum quoſdam redimere & non omnes, cū pretium pro omnibus ſufficiens dediſſet. E V S. Non poſſum in Chriſto quicquàm huiuſmodi ſine nefario ſcelere ſuſpicari. M A R. Voluit igitur omnes redimere. E V S. Sic eſt M A R. Et pro pretio dato. E V S Eodem modo. M A R. At ipſe dixit ſe pro multis mori. E V S. Hoc me turbat. M A R. Vnde hoc dicemus contingere non enim Chriſtum, qui ſumma eſt ueritas, mentitum dicemus. E V S. Non. M A R. Vnde igitur hoc? Nō enim Chriſtus in cauſa, quem conſtat

ſtat uoluiſſe omnium redemptionem, & idoneum pretium attuliſſe. EVS. Nullo modo Chriſtus in cauſa. MAR. Videamus igitur, ne in cauſa ſint hi, qui beneficium hoc tantum redemptionis non agnoſcunt, uel agnitum contemnunt. Nullos ne habes, qui hanc redemptionem factam fuiſſe non credãt? EVS. Plures habeo, quàm uellem: nam maxima pars orbis infidelitate laborat. MAR. Quid de Chriſtianis, qui ſciunt hanc redemptionem, & eam negligunt impiè & ſceleratè uiuendo, & Chriſtum nomine tantum, non etiam opere profitendo. Quid ais? Nonne iſti indigni, quibus redemptio iſta fructũ ferat, qui aut non credunt, aut negligunt? EVS. Indignos prorſus iudico. MAR. Si indigni ſunt, quibus proſit, quia iniurii ſunt in Chriſti ſanguinem & mortem, ne prodeſſe quidem exiſtimo. EVS. Rectè exiſtimas. MAR. His ergo Chriſtus negat ſeſe eſſe mortuum, quibus mors ſua nihil prodeſt: non enim quod fieri poterat, ſpectabat, ſed quod futurum erat. Iam uerò illud in communi ſermone eſt, ut, quod nullo futurum eſt uſui, ne eſſe quidem dicatur. Et ut in re, de qua agitur, uerſer Quid refert infideli aut impiè uiuenti Chriſtum eſſe mortuum pro hominibus, quum illi ex huiuſmodi morte nullum capiant emolumentum? licuit per iſtos filio Dei non deſcendere, & nihil pro humana ſalute negotii habere. Summa horum uerborum hæc eſt utrunque ſermonem uerum eſſe Chriſtum mortuum pro multis: item mortuum eſſe pro omnibus: nã pro multis eſt mortuus, ſi inſpicimus, quibus mors eius proſit. Rurſus mortuus eſt pro omnibus, ſi inſpicimus quibus prodeſſe poterat; omnibus enim poterat propter pretii dignitatetem, ſed quòd non poſſit, efficit incredulitas & ſtultitia turpiter uiuentium, ſicut nõ poterat miracula facere uiuens penes quoſdam propter incredulitatem eorum. Hac ratione conſentiunt uerba Chriſti & Apoſtoli, ſeu non repugnant; nam loquutus eſt Chriſtus de euentu redemptionis, qui multis contingeret; Alius de uirtute eius, quæ idonea erat omnibus ſalutem afferre. Sed quid dubitamus adhuc, quin Apoſtolus Chriſto conſentiant: nam qui ad Corinthios ſcribens dixerat Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, idem ſcribens ad Hebræos dicit pro multis. Chriſtus (inquit) ſemel oblatus eſt ad exhauriendа multorum peccata: ex quo colligitur utrunque uerè dici, poſtquàm ipſe idem utrũque poſuit. quod tamen accipiendum eſt ſenſu, quo diximus. Sed num uis audire aliud, quod tibi æquè ſatisfaciet? Audis Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus. quære pro quibus omnibus, reſpondebo pro illis omnibus, qui piè uiuũt. Ecce tibi uniuerſitas piorum, quæ deinceps tranſit in ſingularem multitudinem piorum, & eam admodum paruam & raram, ubi ad maximã illam hominum ubique degentium uniuerſitatem refertur. Pro hac igitur uniuerſitate, ſeu omni multitudine piorum Chriſtum dicimus eſſe mortuum, ceteris nequaquam: non quòd non poſſit in eis idem mors Chriſti, quod in iſtis, ſed eorum impietas repugnat. In hanc autem ſententiam accipienda quoque ſunt uerba Ioannis, dum in epiſtola priore inquit. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis

catis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Poſſum etiam alio ſenſu dicere Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus: uerißimũ, ſi referuntur non ad ſingulos generum, ſed ad genera ſingulorum: hoc modo, ut dicatur Chriſtum mortuum eſſe pro omni hominum ætate, ſexu, ordine, conditione: nihil enim refert, quo ad redemptionem puer quis ſit, an uir: maſculus, an fœmina: nobilis, an ignobilis: doctus, an indoctus: Italus, an Indus: uiuus demũ, an mortuus: nam etiam pro mortuis Chriſtus mortuus eſt: imò facilius ad mortuos redemptio trãſiit, poſtquàm mors eſt, qui redemit. Tantum autem abeſt, ut Chriſtus mortuos contempſerit, ut eos etiam poſt mortem ante quàm reſurgeret, ſui præſentia inuiſere dignatus ſit: acceſſit ad eos liberandos, & nudatos proprio corpore nudatus & ipſe ad ſe id eſt ſalutem recepit. E V S. Aſſentior his, quæ hactenus dixiſti. Quod tamen dixiſti, quòd Adam parendo ſuggeſtioni Diaboli ſe & cunctam poſteritatem illius ſeruituti ſubiecit: non facile accipio id, quale ſit: ſi modo uera ſunt, quæ in iure ueſtro traduntur. Dicitis enim quòd fraus & dolus patrocinari debet nemini: Ideò ſi Diabolus inuidia fœlicitatis humanæ motus hominem decepit: non ſtatim uerũ fuit, ut eis debuerit dominari: quo prætereà iure nos potuit poſsidere: eramus ſerui Dei, nec poteramus (etiam ſi uoluntas fuiſſet) nos ab eius dominio ſubducere: nemo enim vnquam ſerui fugitiui dominiũ amiſit. Si ergo nec Diabolus potuit, nec nos eius imperio noſmetipſos ſubiicere potuimus: vnde nos ille detinuit? An inſciente Deo? At ille nouit omnia, An non ualente ius ſuum tenere? At nutu quiduis conficit. M A R. Video Euſebi hac in re te ad ius ciuile noſtrum confugere: nec mirum te id facere potuiſſe, qui mecum aſſiduè & cum ceteris Iuriſconſultis uerſaris. Itaque ſecundum idem ius ciuile, ad quod prouocas, reſpondebo: ſed paucis: non enim magna uis eſt horum argumentorum. Poſsidebat ſanè Diabolus humanum genus, latè eius imperium patebat, quod templa idolorum cultui conſecrata, auſpicia, auguria, oracula, & aliæ mille ſuperſtitiones, quibus tunc homines detinebantur, oſtendunt. Illud etiam maximè, quòd pias etiam & ſanctas patrum ueterum animas ad inferni clauſtra trahebat. Quæris, quo iure poſsidebat? nullo: nullum enim iuſtum titulum prætendere poterat: malæ fidei erat poſſeſſor: nec tamen id prohibebat Deus, non quia inſcius iuris ſui, aut inualidus illud perſequi, aut ſe ipſum cõtemnens: ſed rem permiſit iuſto iudicio, quod poſcere uidebatur, ut homo, qui iniuſtæ Diaboli ſuaſioni parendo culpam contraxerat: hanc pœnam iniquiſsimæ ſeruitutis ſubiret, & ei uel nolens ſubiiceretur ad ſupplicium, quem ſponte in peccato fuerat ſecutus: reliquerat enim hominem in manu ſui conſilii, ut deterior fieri, & deteriora ſequi poſſet. At nemini fraus & dolus debet patrocinari? non patrocinatur, non impunè ille feret, nam pro eo, quòd primum hominem ſeduxit, proque aliis fraudibus & dolis, quos aduerſus ſingulos nũc molitur, iuſtas luet pœnas, quum iudicabitur. Accidit autem hac in re Diabolo, quemadmodum furibus noſtris

ſtris & latronibus,quorum ille caput & dux eſt, nam rebus ereptis ad breue quoddam tempus fruuntur: poſtmodum adducti ad iudicem,& ſpolia amittunt, & furcis ipſi ſuſpenduntur,aut ferarum laniatibus ſubiiciuntur,& hæc quidem ſic habere exiſtimo:ſi quid autem aliud reſtat, quod inquirendum uideatur,percunctari potes tuo arbitratu. E V S· Video à te hactenus adductas eſſe cauſas præcipuas,ſeu( ut tu uocas) principales,quibus Chriſtus huic paſsioni ſe ipſum obtulit.Reſtat nunc,vt concomitantes ſeu cohærentes cauſas exprimas:nam quaſdam huiuſmodi hac in re ſubeſſe dicebas, & ego tibi tunc fidem habui.M A R. Cauere igitur debeo ,ne tua fruſtra ſit opinio.Sed tenes ne quas concomitantes cauſas,ſeu cohærentes uoco? E V S. Eas ſcilicet,quæ principale adiuuant propoſitum,& quibus quis ad agendum ſtudioſius mouetur & uberius:ſolæ autem non impellerent:nam ita te memini paulo antè declarare.Illud quidem manifeſtum,quòd quo plures cauſæ concurrũt ad agendum,eò actio illa redditur perfectior,ut quæ plurium exiſtat cauſa bonorum. M A R. Poſtquàm hoc tenes:quàm facile potes intelligere, quibus de cauſis ſtudioſius Chriſtus hanc ſubierit paſſionem: nam patiendum ſibi,& illo modo patiendum deſtinarat,ut nos ſcilicet à peccatis, quibus nos Diabolus tanquam laqueis captiuos detinebat, eriperet,& ingreſſum in regnum aperiret,& hanc primam & præcipuam uocamus. Nunc requiris, ecquod aliud ex hac paſsione ſequatur cõmodũ,quod nõ teneat propoſiti arcẽ, ſed ſit ueluti ſecundarium & acceſſorium? Video te ad audiendum propenſum. Dic quæſo qualiter rebus in lætis & ſecundis ſe Chriſtus habuerit ante paſſionis huius aduentum. E V S. Quæ læta & ſecunda obueniſſe Chriſto dicas,neſcio. M A R. Neſcis? Imo ſcis:ſed parum aduertis. Nunquam lætitiam in Chriſto fuiſſe putas? Mitte diuinitatem,ſed ut hominem ſpecta:nõne lætum fuiſſe exiſtimas de miraculorum poteſtate,de doctrina, de diſcipulis, de animarum ſalute? hæc illi læta & ſecunda obueniſſe dico. E V S. Vera loqueris. Aduerto tamen illi continuum & irreconciliabile certamen cum ſcribis,& phariſæis,cum principibus ſacerdotum interceſſiſſe, & eorum iniquos cogitatus,& contumelias,& inſidias perpeſſum. M A R. Hæc,quæ dicis,neutiquam illum commouere potuerunt,niſi,quòd peccabant,& exemplo nocebant:ſciebat eos uitæ ſuæ inſidias moliri.Sed quid ſolicitudinis hoc ei afferre poterat,cum ſciret pariter nondum horam eius ueniſſe:ut euangelicus teſtatur ſermo? quin,ut oſtenderet fruſtra eos talia machinari:credo hæc eum illis dixiſſe:Nemo tollit animam meam à me, ego pono animam meam à me ipſo:poteſtatem habeo ponendi animam meam,& iterum ſumendi eam.Paſſus eſt poſtea,quia uoluit:martyres uerò, etiam ſi noluerunt. Petro namque ita prædixit paſſionem ſuam ,Quũ ſenueris ( inquit) alius te præcinget,& ducet,quò tu non uis.Hoc igitur quærebam,quoniam tu quoque fateris læta quædam obueniſſe,qualiter ſe in illis habuerit. E V S. Negari non poteſt, quin Chriſtus,etiam in lætis uerſatus fuerit,ueluti quum turba credentium

cum

cū ſequebatur, & celebris etiā ille dies in laudē eius illuxiſſet, quo paucis ante paſſionem diebus ſedens ſuper aſinam ingreſſus eſt Hieroſolymam, & alii ueſtimenta, alii palmarum ramos ſternebant, qua iter faciebat, & clamaretur. Oſanna filio Dauid. In his autem lætis, & proſperis quomodo ſe geſſerit Chriſtus, dicere nequeo aliter, quàm geſſiſſe ſe humanè, clementer, benignè, & eo tempore animarum ſalutem ſemper reſpexiſſe, & non ſuam, ſed patris gloriam quæſiuiſſe. M A R. Laudandus es in hac tua præclara reſponſione: ſed num, ut rectè dicere potuiſti, quomodo ſe in lætis Chriſtus habuerit, ita habes dicere, quomodo ante paſſionis huius tempus ſe geſſerit in aduerſis? E V S. Qui poſſum huiuſmodi quicquam dicere? Nam aduerſarios ei nullos conſtituimus, niſi peccatores in eo, quod peccarunt. M A R. Ante paſſionis huius tempus nunquid in corpus eius peccarunt? E V S. Minimè: nam eo die, quo capi uoluit, cœpit poteſtas tenebrarum. M A R. Mala igitur corporis eſſe cenſes. E V S. Et plurima quidem. M A R. Sunt autem corpori aduerſa, & non amica, ſiquidem mala ſunt. E V S. Quid ni? hoc ſine cunctatione reſpondere poſſum. M A R. In his igitur, quæ inimica ſunt corpori, & ei aduerſantur, ſi nihil illorum corpore Chriſtus tuliſſet, exemplum ne aliquod Chriſtus dediſſet, quod intuentes imitari poſſemus? Ante hoc paſſionis tempus nihil aduerſi tulit in corpore. Quid ſi nunc perpeti quicquam corpore noluiſſet, dicere ne poſſemus, quomodo in aduerſis Chriſtus ſe geſſerit, ut exemplum pateret ad imitandum, quod ad fideles magis, quàm ad alios pertineret? E V S. Iam intelligo: huc enim tua tendit oratio, ut oſtendas Chriſtum tot mala tuliſſe corpore, ut ceteris documentum daret indelebile patientiæ, ut oſtenderet quæuis corporis mala potius eſſe ſubeunda, quàm ut iuſtitiæ cauſa prodatur. M A R. Gaudeo, quòd intellexiſti. Illud tamen intelligere te uolo non ſolum mala corporis perpeſſum Chriſtum fuiſſe, ſed cetera omnia aduerſantia habuiſſe. Vidit accuſationem ſui turpiſsimam, auerſas à ſe hominū uoluntates, deſertionem amicorum, iniquiſsimos iudices, inſultationem inimicorum, & cetera multa quæ enumerauimus, quum oſtendimus in hac ſua paſſione omnem miſericordiæ locum impleuiſſe, omnes tunc animi & corporis dolores in hominem, ueluti à Deo deſtitutum confluxiſſe. Noluit Chriſtus leuia pati; ne ſi aliquando quis ad graue traheretur certamen, cederet dicens facilia eſſe fortitudinis & patientiæ præcepta, rem tam difficilem uel potius intolerabilem Chriſtum authorem noſtræ ſalutis nunquam ſuſtinuiſſe. Hanc excuſationem, quamuis iniqua eſſet (non enim debet quis iuſtam cauſam deſerere ob ſuppliciorum magnitudinem, propterea quòd qui præcipit fortia, ipſe hoc non præſtitit) Chriſtus exemplo ſuo ut uanā & pernicioſam diſcuſſit, primus per aſperrima & difficillima greſſus ferens, ut ceteri ſequerentur. Extremum mortis genus delegit, ne quis diſcipulorum quodlibet aliud mortis genus ſubire cunctaretur. Quis præterea Chriſtus? Nonne caput martyrum? At quorum martyrum? quos ipſe facturus erat, cu

ius igitur magis exemplo debuit munire martyres quàm ſuo cuius cauſa ſupplicia laturi erant? Ne quandoque dicat membrum, Non eo, quò caput meum non iuit. Nunc nullum tanti eſt membrum quod ire recuſet, quà caput uidet iuiſſe: Huc tendit præclara uox beati Gregorii: Non oportere ſub ſpinoſo capite membrũ eſſe delicatum. Hoc proſpiciens Petrus Apoſtolus in priore epiſtola dicebat. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut ſequamini ueſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, qui quum malediceretur, non maledicebat, quũ pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè. Ecce patientiæ exempla. At quæ paſſus eſt? Et pro quibus? His occurrens quæſtionibus beatiſſimus Petrus addit ſequens ſuperiora. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui iuſtitiæ uiuamus: cius enim liuore ſanati ſumus. Vides, quomodo Apoſtolus hortatur nos ad patientiam exemplo Chriſti, qui, quum eſſet gloria patris, & futurus iudex uiuorum & mortuorum, ſuſtinuit patienter opprobria hominum, paſſus eſt ſe ab hominibus capi ut reus: argui, & iudicari, ut nocens: nec iudicari tantũ, ſed etiam infami ſupplicio occidi: ſummos denique cruciatus ſummo ſilentio uoluit perferre. Hæc tantus ille tanta pertulit. Nos minores minora dedignabimur perferre? Et qua nam alia ratione Apoſtolus Paulus ad Hebræos ſcribens hortatur eos, ut durent in aduerſis & perferant omnia, niſi exemplo Chriſti, qui propoſito gaudio crucem ſuſtinuit confuſione contempta, & talem aduerſantium iniquorum contradictionem ſuſtinuit & audaciam. Nondum tamen uſque ad ſanguinem inquit reſtitiſſe aduerſus peccatum: hoc dicit Apoſtolus, quia direptionem tantum bonorum fuerant perpeſſi: & tamen uſque ad ſanguinem reſiſtendum eſſe non ſolum Chriſti, ſed etiam fratrum cauſa docet Ioannes in prima epiſtola, qui ſimilitudinem hanc altius ingreſſus, In hoc (inquit) cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Fer me quoq; tu patienter, ſi tibi nunc aliquid audacius dicere uidebor, quàm mea habeat conſuetudo. Dico equidem Chriſti uitã minus perfectam fuiſſe (ſi humana duntaxat in eo cogitemus) niſi ab iniquis & inuidis dura & acerba toleraſſet. Conſtat namque non inter doctos ſolum, ſed etiam inter indoctos uirorum eſſe fortium, & magnanimorum, & patientium, & humana uincentiũ toleranter perpeti dolorem: nec putare aſperum quicquã eſſe tanti, cui animus ſuccumbere debeat. Nemo eſt, quin eum qui patiatur horribilia honeſtarum actionum cauſa ſummè laudandum putet, tales plerique fuere inter philoſophos. Magna eſt in laude, & omnium celebratur litteris Anaxarchus, qui quũ a Nearcho Cypri Tyranno, cui fecerat inſidias, pilis ferreis in mortario tunderetur clamabat. Tunde, tunde Anaxarchi uaſculum: Nam Anaxarchum non tundis. Celebratur etiam Zeno Eleates, qui quum ab eius ciuitatis Tyranno acerrimis tormentis interrogaretur, ut delendæ tyrannidis cõſcios indicaret,

dicaret, adeò id contempſit facere, ut linguam etiam præcideret dentibus, & in faciem Tyrranni expueret. Quid dicam de Theodoro Cyrenaico philoſopho: Cui, quum liberius loquuto Lyſimachus rex crucem minitaretur: Iſta horribilia (inquit) minitare purpuratis tuis, Theodori nihil intereſt, humi an ſublimè putreſcat: nec dixit modo, ſed illatum etiam illud ſupplicium conſtanter tulit. Non tam grauia paſſus eſt Socrates: Verum tamen iniuſtis iudicum ſententiis quum eſſet damnatus, venenum publicè datum tanquam ſitiens hauſit, quod etiam præſtans in Republica vir Theramenes præſtitit. Hæc inter gentes laudantur, & verè ſunt laudanda remoto infidelitatis crimine, de quo nunc non agitur. Chriſtus autem ſi nihil aſperum, nihil tuliſſet horribile, vbi eſſet eius patientia, quã præſertim diſcipulis commendaſſet? In patientia (inquit) ueſtra poſſidebitis animas ueſtras: nõ ſatis videbatur eã uerbis commendare, niſi etiam ipſe re præſtitiſſet. Nũc effectum eſt, ut quum præſtantiſsima de cauſa aſperrima quæque & duriſsima ſumma cum tolerantia pertulerit, nihil commendationis addi poſsit, ſitque ipſe Chriſtus omnium magnarum uerarũque uirtutũ viuum & efficax exemplar: quũ uitæ eius laudatiſsimæ mors etiam luculentiſsima reſpondeat. Crucem abominantur ſuperbi, glorioſi, ſenſibus dediti, & qui ſunt ex eorũ numero, qui dicũt. Edamus, & bibamus, cras enim moriemur. Omnia gerere ſapientem honeſti cauſa, & uerũ & probabile eſt: & Stoici inter philoſophos præcipui honeſto omnes uirtutes contineri putauerunt, ſed non nouerũt cœleſtes illas uirtutes, ſine quibus reliquæ uirtutes falſæ ſunt, & quibus nos maximè delectamur. Fidem dico, ſpem, charitatem: tria hæc, maior autem harũ charitas. Harum autem virtutum retinendarũ gratia, quæ uim influũt cæteris virtutibus, nullũ nec diſcrimen, nec ſupplicũ recuſare debemus. Quòd ſi exemplo opus eſt, quia magis cõmouemur exemplis, quàm uerbis: nã horum eſt copia, illorũ inopia. Quãti hoc æſtimãdũ eſt, quòd unigenitus Dei filius, qui non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, exemplo ſuo nos erudire uoluit, ne grauia pertimeſcamus? ſed patienter ſubeamus? Nulla enim relicta eſt excuſationis anſa, quin id fieri oporteat. Grauia nos premunt: at is, qui imago & figura erat diuinæ ſubſtantiæ, grauiora etiam pertulit, quantacũque patiamur. Quando unquam ad tot & tanta peruenìemus tormenta? quæ ille placidè excepit in partibus humanis: unde poterat ſentire. Præclarè hoc Auguſtinus noſter, vt omnia, Si quiſpiam (inquit) medicus ægroto, quem cupiat morbo leuatum, tradat amarum poculum, ut bibat: ægrotus uerò dicat nõ poſſum, non capio, non bibo. Medicus hoc audiens reſpondeat, quòd quanuis ſit ſanus: tamen prior ipſe bibet, propterea poſſe illum bibere, & debere. Nonne hæc faciens medicus humaniſsimus omnium, & ægroti amantiſsimus habebitur? Et vehementer excitarit ægrotum, ut ſalutiferum illud poculũ ſecũ bibat. Hoc, quod admirabile uidetur, ſi aliquis faciat, quod haud ſcio, an umquam contigerit, Chriſtus impleuit: nam quanquam ſanus eſſet ab omni-

bus peccatis, ita ut calicem nullum amarum ſuſcipere deberet, ipſe tamen prior ſuſcepit, ut nos pro aſsequenda ſalute bono animo & uultu hauriamus. Non poteſt amaris moleſtiis hæc uita uacare, imò abundat. Sed quid in hoc poculo tam amarum, quod ille prior non biberit? Si irriſiones, inſultationes, ignominias cogitemus, nemo cõtumelioſius tractatus. Si falſæ mouent criminationes, nulli magis falſa crimina obiecta ſunt. Si amara ſunt tormẽta, uinctus, flagellatus, uulneratus, crucifixus deniq; eſt. Si mors terrori eſt, quæ nos à præſentibus ſubtrahit, mortuus eſt. Si mortis genus perhorreſcimus, nihil cruce contemptius, nihil horribilius, quam ſibi etiam ipſi portauit. Non enim fruſtra Apoſtolus cõmendãs Chriſti obedientiã addidit uſque ad mortem crucis, quaſi id extremum eſſet ſupplicium. Quæcunq; geſſit Chriſtus præclariſsima fuerunt, ſeu ſanctitatem uitæ, ſeu charitatem, ſeu doctrinã, ſeu miracula inſpiciamus, negare non poſſumus: attamen, quæ hoc poſtremo paſſionis ſuæ tempore geſſit, eminent omnibus. longè in hoc extremo actu ſe ipſum ſuperauit: non enim ſolũ duriſsima quæq; & acerbiſsima ſenſibus ſubire uoluit patienter, ſed in agendis, dicendis, tacendisue prudentiam ſuam oſtendere, quam in aduerſis ſeruare, quàm arduum ſit, nemo ignorat: magni enim operis eſt ſumma in tempeſtate, medios inter fluctus rectum curſum tenere, & nauigiũ peritè moderari. Chriſtus, dũ cum hominibus uerſari dignatus eſt, omnes uirtutis numeros abſoluit. Nulla uirtus inuenietur, cuius præclarum exemplum non reliquerit: itaq; non aliò ſpectare oportet exemplorum gratia, quàm ad ipſum Chriſtum. Vnde enim melius uirtutum omnium exempla ſumentur, quã ab eo homine, qui unã perſonã faciebat cũ Deo, quẽ Deus non ut reliquos ſanctos regebat, ſed gerebat. Quòd ſi præclariſsimè antea, quid in ipſo fine cenſes? An magis etiã talem fuiſſe? E V S. Cenſeo equidem: nam non tam initia, quàm extrema ſpectanda ſunt: omnis enim laus (ut aiunt) in fine canitur. M A R. Rectè hoc à te, ut omnia. Chriſtus namq; poſtremum hunc actũ paſſionis ſuæ more boni poetæ ualdè expolitum & elaboratũ reliquit. Turpè eſt enim præclarè incipientem, media laudabiliter proſequẽtem, in poſtremis deficere: ac non efficere, ut omnia appareant meliora. Noſti quid ordo uelit? eius nãque eſt non incipere à perfecto, ſed creſcere, & aſſiduè proficere. E V S. Quaſi dicas hunc ordinem Chriſtũ in uita hac mortali quoq; ſeruaſſe. M A R. Sic dico nõ diuinãs, ſed manu penè tangens. Tenesne quæ nã ſint illa capita ſeptem uitiorũ, è quibus cætera ducũtur? E V S. Teneo, Nempe dicis Superbiam, Inuidiam, Iram, Auaritiã, Luxuriam, Gulã, Accidiã. M A R. Hæc ipſa. E V S. Sed quid ita interrogas? M A R. Quoniã dominica paſſio cõtra hæc uitia militat: nam oppone mihi contra ſuperbiã ſummam Chriſti humilitatem, qua de beatitudine ſua deſcendes homo factus de nihilo ſe in illa tormenta, & quòd irrideri, contemnique ſuſtinuit. Cõtra inuidiam, quòd cũctis hominibus cruce ſua ianuã beatitudinis aperuit. Cõtra irã, quòd nemini maledixit, quòd pro crucifixoribus orauit. Cõtra auaritiã, quòd

hominũ cauſa propriũ effudit cruorẽ. Contra Luxuriã, quòd flagellatus, ſpinis coronatus, & denique crucifixus. Contra Gulã, quòd in graui ſitis ardore felle & aceto potatus. Contra Accidiã, quod miro ſtudio humanæ ſalutis negotiũ ſuſcepit. His omnibus uitiis cũ dominica paſſio repugnet, ſequitur, ut cõtrariarũ uirtutũ indelebile nobis præbeat documentũ. An nõ ſic? E V S. Recipio quod dicis, præſertim quũ eiuſdem ſententiæ authorem habeã eũ, qui tibi ualdè ſolet eſſe in ore, & quẽ præcipuè cõmendas, Auguſtinũ dico. Is enim ait ſummã perfectionem cõſiſtere in eius imitatione, quem colimus. Idẽ alibi inquit, quicquid Chriſtus geſſerit in terris, id doctrinam eſſe morum. M A R. Vis ne alium audire fructum, quem nobis attulit hæc paſſio? nam cogitantes, quòd tãto effuſo ſanguine & tam pretioſo Deus à peccato nos liberauit. Nonne impelli debemus, ut obſeruemus, nos à peccatis, & ne iterũ recidamus in Diaboli poteſtatem? magno enim illi ſtetimus, ut nõlit partem aliquã noſtri Diabolo relinquere. ſed totum ſe uelit regnare in nobis. hoc non latuit Apoſtolum Paulum, dum ad Corinthios ſcribens in priore inquit. Empti eſtis pretio magno; glorificate, & portate Deũ in corde ueſtro. Illud quoque adduci poteſt pro cauſa, quod publicè & per tormenta expirare uoluerit, ne quũ poſtmodũ reſurrecturus eſſet, poſſet fingi eum mortuũ non fuiſſe: ſed aliquo abdito loco ſe ipſum pauliſper occultauiſſe, & nũc, ut rediuiuum offerri, qui nũquã occubuiſſet, ſed ſemper uixiſſet. An nõ tibi uidetur iuſta cauſa fuiſſe, ſic mori uoluiſſe reſurrectionis ſuæ confirmãdæ gratia? nam ſi uel febribus, uel alio aliquo morbo corporis interiiſſet. Primo inconueniens uidebatur eũ, qui lãguores alienorũ corporũ curarat, ſibi ipſi defuiſſe, & à ſe peſtẽ illã auertere nõ potuiſſe. Deinde quẽmadmodum dixi, ſi in paucorũ conſpectu obiiſſet, calũnia conſurgeret eum nunquã extinctum, ſed in ſolitudines ſe recepiſſe: uel naturali morte interiiſſe, & aliũ quendã nõ diſsimili præditum forma pro eo nunc uiuum oſtentari. At uulnerũ, quæ paſſus eſt, cicatrices, & nota hominis figura palam occiſi fidem firmam reſurrectionis facere potuerunt. Si enim congruentiam quandam, & ordinem diuinæ prouidentiæ ſectamur, non uereor dicere, quòd aut reſurrectionis ſuæ cura habenda non fuit, aut id agendũ, quo facillimè crederetur: & calumniantium ora obſtruerentur. Poſſem ſumpto ad meditandum ſpacio plures forſitan incidentes cauſas adducere, quibus Chriſtus hanc amplecti paſſionem decreuit, quale illud eſt, quod nunc occurrit: nã ſi crucem pateretur, uidebat tantã obedientiã, & charitatem, quæ ſibi ad maximum cederet meritum, nõ ſibi tantum profuturã, ſed cunctæ eccleſiæ, cui ipſe tanquam ſingularis homo capitis inſtar præeſſet. Eſt enim capitis uim ſuam in omne corpus diffundere, & auxilium reliquis membris ſalutemque impertiri, nihil tam arduum eſt, quod tantorum ratione meritorum non poſſit pro nobis à cœleſti parente impetrare. Aduocatum enim (inquit beatus Ioannes in epiſtola) habemus Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio noſtra pro peccatis noſtris.

uerum agnum comedimus, nec non panes azymos in ſinceritate & ueritate: Voluit igitur Chriſtus poſtrema illa cœna ſolemnia ueteris legis implere. De inde vt inter cœnandum ſuſtinuit Iudam, quem ſciebat proditorem? Vt eum non manifeſtum fecit omnibus? Ne tamen ignorare putaretur, dixit vnum ex diſcumbentibus fore, qui eum traderet. Vis ne apertius audire, quàm rectè ſe habuerit Chriſtus hac in re, uel tu hoc iam perſpicis? E V S. Gratum fue rit audire. M A R. Audi ergo. Ego quòd proditionem præuiderit, diuinitatis fuiſſe puto: quòd non indicarit proditorem, quod occultum aſtantibus erat, & ſibi notũ, ut Deo, iuſtitiæ fuit: prudentiæ uerò quòd ne exiſtimaretur igno rare, dixit unum eorum proditionem moliri nemine nominatim appellato, Et cum inſtaret Ioannes innuente Petro ſupra pectus Domini recumbens, & diceret, quis eſſet ille? ne tum quidem nomine, aut digito notauit. At ne incerta ſuſpicione arguere uideretur, ſed certò ſcire. Ille eſt (inquit) cui intinctũ panem porrexero: & Iudæ porrexit. forſitam ueritus eſt, ſi Iudam apertè proditionis inſimulaſſet, ne quid turbæ oriretur in conuiuio: & ne reliqui Apoſtoli ira concitati in eum impetum facerent, & maximè Petrus, quem amoris igne æſtuantem difficilè fuiſſet continere: ſimul oſtendere uoluit cibum porrigendo ſe adhuc dilectionem ſeruare erga eum, cuius in ſe nouerat impietatem. Illud quoque animaduerſione dignum: nam (ut ex uerbis Matthæi euangeliſtæ colligere licet) quum Chriſtus dixiſſet diſcipulis, quòd unus ex eis eſſet ipſum traditurus, & contriſtati ſinguli cœpiſſent dicere. Nũquid ego ſum domine? Poſtremus omnium Iudas, qui uerè non contriſtabatur (nã uera triſtitia non ſuſtinet moram) aliquando & ipſe interrogauit. Nunquid ego ſum Rabbi? Poterat iure dicere, O nequiſsime hominum, pactus es argentum, ut me tradas, & audes me interrogare? Non dixit, ſed temperans ſermonem reſpondit. Tu dicis, medius & ambiguus eſt ſermo rem reiiciens in interrogantem: Tu dicis ſcilicet non ego. Alii interpretantur Chriſtũ hoc ſoli Iudæ dixiſſe, cæteros non animaduertiſſe. Hic percipere datur malos ſæpius uti uocibus bonorum, ut culpam ſuã contegant. Sed pergamus ad maiora. Poſtquàm autem Chriſtus impleuit ſolemnia ueteris legis agno comeſſo, inſtituit nouũ ſacrificium, ut ceſſarent adũbrata illa ſacrificia ſub præſentia ueritatis: & ita induxit nouum teſtamentum. Inſtituit ea in cœna admirabile ſacramentum corporis & ſanguinis ſui pretioſiſſimi in memoriam redemptionis noſtræ, & ob alia multa, quæ nunc prætereo. Satius eſt enim præterire, quàm pauca de tanto ſacramento dicere E V S. Rectè præteris, nã multa de hoc ſacramento quæri, & diſputari poſſunt, & decreui tecum in hoc ſermone aliquando otium tuum obſeruans diem conſumere. M A R C V S. Vt libet. Interim animaduertere potes primũ propoſitum fuiſſe Chriſti redemptionis noſtræ: ſacramentum hoc memoriam uoluit illius redemptionis extare: non enim ſacramentum cauſa redemptionis fuit, ſed redemptio ſacramenti. Omnia quidem Chriſti hac in paſſione huc tendunt, primò ut redimeret dein-

de

de ut in hoc ſuo ab humanis diſceſſu uerbo & opere erudiret, & exemplum patientiæ, manſuetudinis, charitatis, clementiæ, humilitatis præſtaret. Opportunè nunc dixi humilitatis. Quid enim poteſt eſſe humilius? quàm pedes abluere diſcipulorum? Qua in re miror diligentiam Ioannis Euangeliſtæ, qui non ita breuiter ſcripſit, quod pedes abluit diſcipulorum, ſed ſingula inſtar picturæ ante oculos poſuit, adeò tantæ humilitatis profunditas eum affecit. Surgit (inquit) à cœna, & ponit ueſtimenta ſua, & quum accepiſſet linteum, præcinxit ſe: deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Quid adiici amplius poteſt? Pedum elegit lauationem, quoniam hæc eſt uiliſsima pars corporis, & in eorum lotione quis ſe poſternit, omnia præterea ad hanc lauationem ſpectantia per ſe impleuit nullo alio uſus miniſtro: hinc per ſingulos gradus facta illa deſcriptio. En humilitatem magnam, quæ etiam uideri maior poteſt ex duobus. Primum illud quòd Petrum aſſeuerantem ſe non permiſſurum ſibi lauari pedes corripuit, & minatus eſt ſe mulctaturum regno cœleſti, niſi pateretur: Alterum quòd proditoris etiam pedes lauit, furis, ſacrilegi, & ipſo proditionis tempore, quo uix ſperanda erat emendatio. Et quòd exempli cauſa id Chriſtus fecerit, hoc docet ipſe: nam proſequens deſcriptionem inchoatam Euangeliſta: Poſtquàm (inquit) lauit pedes eorum, accepit ueſtimenta ſua, & quum recubuiſſet. Scitis, quid fecerim uobis; uos uocatis me magiſter & domine: & benè dicitis: ſum etenim. Si ergo laui pedes ueſtros dominus & magiſter, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum feci uobis, ita & uos faciatis. Et hæc quidem ille fecit, & dixit; nam prius incœpit Ieſus facere, deinde docere. Hic fortaſſe opponens ſe aliquis dicet. Quomodo potero unquam Chriſti exemplum imitari? Ille enim unus eſt cunctorum natura dominus & magiſter: nos autem homines, qui quo ad naturam attinet conſerui omnes ſumus, æquali conditione generati: At ille dixit, ſicut ego feci, qui ſum dominus & magiſter: ita & uos: hoc fieri nequit, fruſtra ergo exemplum hoc propoſuit. Huic ſic cogitanti reſpondebimus Chriſtum omnino conſequentia non tenuiſſe. Conſequens enim erat, ſi ego hoc feci uobis dominus & magiſter: quanto magis uos conſeruis ueſtris præſtare hoc debetis: ſed uidetur ille intelligentiæ hoc noſtræ reliquiſſe; exemplum autem, quod ad imitandum proponitur, perfectiſsimũ omnium debet eſſe & abſolutiſsimum, nec requirens tamen ab omnibus, ut omni ex parte illud imitando æquent, ſed ſatisfacit is, qui quantum poteſt, & quantum in eo eſt, imitatur, etiam ſi deterius imitetur. Non poſſumus tantam præſtare humilitatem, quantam is, qui non homo tantum, ſed etiam Deus erat: at poſſumus tamen quãdam naturæ noſtræ aptam præſtare. Omnium quidem uirtutum normam tradidit nobis Chriſtus, ſed præcipuè humilitatis uoluit eſſe magiſter, quod congruenter fit, ut quos de cœlo expulit ſuperbia, eos illic reſtituat humilitas. Vide quàm difficile ſit cõtundere humanam

arro

arrogantiam: nam tunc facta eſt etiam inter diſcipulos cõtentio, quis eorum uideretur eſſe maior. Chriſtus autem uerberans hanc arrogantiam uoluit, ut qui eorum eſſet maior, fieret ſicut minor, & qui præceſſor erat, ſicut miniſtrator. Adiicit Chriſtus ſuimet exemplum. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nõne qui recumbit? Ego autem in medio ueſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Ex his uerbis coniicio Chriſtum tam humanum fuiſſe, ut in medio diſcipulorum ſedens ueluti diſpenſator apponeret cuiquam de menſa, quod illi opus eſſet ad cibum: Quo enim alio pertinere poſſunt hæc uerba: Ego autem in medio ueſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat, hoc etiam indicat illud, quod Iudæ factum eſt in eodem conuiuio: nam quum de proditore ageretur, & quæreret Ioannes ſupra pectus domini recumbens, quis nam eſſet ille. Reſpondit Ieſus. ille eſt, cui intinctum panem porrexero, & quum intinxiſſet, dedit Iudæ: hoc oſtendere poteſt à conſuetudine ſua fuiſſe cibos diſcipulis porrigere. Mouet me etiam illud, quod geſtum eſt poſt reſurrectionem cum duobus diſcipulis in caſtellum Emmaus euntibus: nam cum docuiſſet Chriſtus eos in uia, quæ ad paſsionem ſuam ex ſcripturis pertinerent, & aduesperaſceret, & inclinata iam eſſet dies, coëgerunt ipſum ſecum manere, & cum intraſſet cum illis, & recumberet: accepit (ut apud Lucam legitur) panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Hoc facto (inquit) cognouerunt eum. Credo inter cætera argumenta cognoſcendi fuiſſe cõſuetudinem frangendi panem, & porrigendi, quemadmodum iidem regreſsi in Hieruſalem ad undecim & cæteros ibi congregatos retulerunt. Idem quum poſt reſurrectionem manifeſtaſſet ſe tertio diſcipulis ad mare Tiberiadis, & cum illis diſcubuiſſet in littore: Accepit (inquit Ioannes) panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter, ex quo etiam id, quod dixi, comprobatur. Nec hoc abhorret à reliqua Chriſti manſuetudine, & lenitate: nam (ut mittam cætera) legimus in euangelio hoc eodem cœnæ tempore unum ex diſcipulis quem diligebat, in ſinu eius recubuiſſe, Et ego quidem ſi quis de me quærat, ſuperioribus adductus ſic illa uerba interpretarer, ſed leuior uideatur forſitã interpretatio. Sacri autẽ euãgeliorũ interpretes altius ſpeculãtes alii referũt id quod de miniſterio ſuo dixit ad pedũ ablutionẽ, alii ad ſacramentũ corporis & sãguinis ſui, quod tũ primũ inſtituerat. Beda plenius ceteris intelligit: uult. n. filiũ Dei de cælo deſcẽdẽtẽ miniſtraſſe nobis omnia, quæ in carne geſsit: nec excludit effuſionẽ ſanguinis, quo redẽpti ſumus. E V S. Neſcio quomodo genus noſtrũ ſpõtẽ tollit criſtas, & ad imperãdũ magis quã parendũ paratum. M A R. Ita eſt: uerũtamẽ iſte qui de altiſsimis ad infima deſcẽdit, uult nos ſui ſimiles fieri, & humiles animo, opere ſublimes uidere cupit. Neq; tamen nũc primũ Chriſtũ exẽplũ ſui propoſuit ad humilitatẽ, ſed ãtea dixerat. Diſcite à me, quia mitis ſũ, & humilis corde. Iuuat nũc cõpellare humanã arrogãtiam O quisquis es homo, qui præ ſuperbia erectus nõ noſti te inflectere: nihil ne hæc vidẽs te pudet? An nõ uides Chriſtũ præcinctũ cũ pelui et aqua circũire,

diſcipulorum pedes lauare,abſtergere,omni uilis ſeruuli fungi officio? Ecquis tu ad illum?Hoc exemplum quem non mouerit,ut faſtum deponat,nihil vnquã mouebit.Impudenter autem( ne dicam ſceleratè) ſe Iudas in illam ingeſſerat cœnam exiſtimans ſe ignorari,& dominum fallere,in quo magis ipſe fallebatur.Quid enim non noſcet in tempore,qui ante tempus omne nouit omnia.His iam ſic geſtis & facta iam cœna:quum profecturus eſſet ad appropinquantem iam paſſionem,quæ mandata illis mutuæ charitatis dedit? Quanta ſunt illa trinitatis myſteria,quæ aperuit?Quomodo præmonuit eos de uexationibus,& ſuppliciis,quæ pro eius nomine erant laturi? Et ut ſolatus eſt propinquitate reſurrectionis ſuæ,ſpe remunerationis æternæ,miſsione ſpiritus ſancti,qui eis fortitudinem donaret illabefactabilem, immenſam que ſapientiam?Denique non derelictum iri eos oſtendit. Vſus eſt hac in re Chriſtus more boni patrisfamilias,qui uidens exceſſum propinquum monet hæredes,quid fieri poſt ſe uelit,& ne quid ignorent patrimonii ſui curat: & de ſingulis edocet. Hæredes autem doctrinæ ſuæ, & euangelicæ prædicationis diſcipulos relinquebat:ideò diſcedens ab eis plenius inſtruxit. longa eſt oratio apud Ioannem,quam tunc ille habuit;quũ ſe ad patrem, à quo exierat, rediturum diceret. hanc tibi inſpiciendam & cognoſcendam cenſeo. E V S. Non deero tum ſponte mea, tum admonitu tuo. M A R. Antequam è triclinio exeo,illud non prætereo Mariam ſanctiſsimam Dei genitricem nõ interfuiſſe huic ultimæ cœnæ,ſeu quòd cauerit Chriſtus matrem dolore implere ob ea,quæ dicenda erant:ſeu quòd non deceret mulierem inter tot conuiuas diſcumbere.Cœna iam facta & habito ſermone ad diſcipulos conſolationis pleno fecit ea,quæ erant ſuæ conſuetudinis:nam (ut Lucas ſcribit) erat diebus docens in templo,noctibus uero exiens morabatur in mõte Oliuarum.Ergo intempeſta noctè iter illuc fecit,ut conſueuerat.& contulit ſe in uillam,cui nomen Geth ſemani.id eſt uallis pinguedinis, quæ uidebatur poſita fuiſſe in radice montis:ut Matthæus & Marcus teſtantur. Ioãnes autem dicit egreſſum eum eſſe trãs torrentem Cedron. E V S.Quid eſt hoc, quod Ioãnes dicit torrentem Cedron. Num uis audire, quid de hoc ipſe audiuerim? Audiui enim quendam dicere torrentem Cedron, id eſt cedrorũ: eſt enim genitiuus Græco more poſitus.In Syria nanque ,ubi Iudæa ſita eſt,cõſtat hanc arborem eſſe peculiarem,& montes etiam amare:inde uериſimile ſit magnam copiam cedrorum illic fuiſſe,& ex hoc torrentem cognomentum ſuſcepiſſe. Et ita amicus quidã meus vir ſanè eruditus exiſtimabat. Tu uero quid?M A R. Argutã arbitror interpretationem: nã uerã nõ poſſum dicere. Cedron nomen eſt uallis & torrentis etiam illic ſiti,locus inter Hieroſolymã & montem Oliuarũ medius:teſtes ſunt libri Regum,vbi Cedron nunc uallis, nũc torrentis nomine nũcupatur,& de hoc loco meminit etiã Ioſephus ſexto Iudaici belli libro:& Hebraica lingua Cedron denigratũ ſignificat:Credo vmbroſum fuiſſe locũ,uel de arborum copia,vel quia inter duos mõtes ſitũ,

montem

montem ſcilicet Sion, ubi Hieroſolyma extabat, & hunc ipſum Oliuarum montem. Tranſiuit ergo torrentem illum Ieſus, & ad uillam, quam ſuperius nominaui, peruenit: & in horto ſe & diſcipulos collocauit. priſtinum ſuum morem ſequutus. Noluit locum Iudæ notum declinare, nec fruſtrari proditorem, aut longiorem ſui inquirendi moram facere, ne ſe celare uoluiſſe, & inuitus ad mortem tendere uideretur. Antea Chriſtus oſtendit ſe ſcire, quæ paſſurus erat, dum prædixit ſe illudendum, flagellandum, & crucifigendum eſſe: nunc oſtendit ſe uoluntariè ea ſubire, dum non ſibi cauit, ut poterat. Nihil in hac paſſione Chriſto contigit præter ſcientiam, nihil etiam præter uoluntatem, his, qui tali ſunt animo & prouidentia, mors non imperat, ſed ſeruit. Ecce uenit ad Olivueti montem, Illic quum diceret, quòd omnes illa nocte in eo ſcandalum paterentur, & ſolum relinquerent: & Petrus præ aliis ferocius clamaret nunquã id futurum, paratum ſecum in carcerem, & in mortem ire: tunc Petrum nimis ſibi virtutique ſuæ confidentem, nimis ſibi aſſumẽtem euentu futuri coarguit, aſſerens, quòd ante quàm gallus bis caneret, ter eum negaret: quod & ſecutum eſt. Vt autem ueniſſet in hortum, orauit ter, & prima oratione facta inuenit tres illos diſcipulos, quos à cæteris abduxerat, dormientes: & ait Simoni Petro. Simon dormis: non potuiſti vna hora uigilare mecũ. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem: ſpiritus quidem promptus, caro autem infirma. Nominatim autem appellat Petrum, quoniã is, pluſquam cæteri pollicebatur ſe pro ipſo in carcerem, & in mortem ire: vnde illa uerba ita accipienda ſunt, ac ſi diceret. Quomodo potes pro me mori, qui ne potuiſti quidem una hora uigilare mecum? nam intempeſtiuus tunc erat ſomnus in tanto diſcrimine, quo fides eorum erat tentanda, ob capturã & crucem ſaluatoris: uult igitur eos orare, ne in tentatione ſuperentur: nam ut tali tempore unuſquiſque debet diffidere ſibi ipſi, ita debet diuinæ gratiæ confidere, quæ optimè elicitur orando. Iterum cum poſt ſecundã orationem ueniſſet ad eoſdem, reperit dormientes: erant enim oculi eorum grauati ſomno præ triſtitia, (ut Lucas inquit) feſſi enim mœrore uidebantur: nã noctu à Hieroſolymis mouerant triſtes uerſus Olivueti radices, & tunc vigilia ſecunda agebatur. Tertio, quum eòdem ueniſſet, permiſit eos dormire, & quieſcere: humanæ id acceptũ ferens imbecillitati, & manſuetudinis ſuæ utẽs iure. Apparuerũt mox milites miſſi ad capiendũ in Olivueti iugo, quibus obuiã ſe fecit, & quũ quærẽtibus eũ dixiſſet. Ego ſũ, abierũt retrorſũ & ceciderũt in terrã. Magnũ hoc verbũ, quod armatorũ proſtrauit agmina, nec mirũ, quia uenit ab illo verbo, quo nihil maius in rebus. Quod nã hoc? quod in principio erat apud Deum, & per quod facta ſunt omnia: tanta poteſtas illos coercuit. Oſtenditque, quòd, ſi deinceps caperetur, id fieri ex eius uoluntate, nam in captione dixit. Hæc hora eſt ueſtra, & poteſtas tenebrarum. Non enim potuiſſent in illud ſacrum corpus manus iniicere, niſi permiſiſſet ipſe ut eo uterentur, quemadmodum uelleut, ſicut etiam permiſit

Iudæ, quem inemendabilem cognouerat, ut proditionem exequeretur, illo ſermone. Quod facis, fac citius: quandiu noluit, nemo contra ualuit. Conati ſunt aliàs Iudæi Chriſtum lapidare, interficere, ſemper ab eorum manibus elapſus eſt diuina uirtute: nunc arma commota ſunt, duobus uerbis ea proſtrauit. Hoc loco Auguſtinus, vna (inquit) uox dicentis, ego ſum, tantam turbã odiis ferocem armiſque terribilem ſine ullo telo percuſsit, repulit, proſtrauit. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Impleta eſt deinceps comprehenſio ex utrorunque uoluntate, diuerſo tamen fine: Illi comprehendere uolebant, ut unum ipſum perderent: ipſe comprehẽdi, ut omnes ſaluaret: Miſſi ad hoc utrique, illi ab hominibus ſceleratis, ipſe à Deo. Enimuero, ſi inuitus & nolẽs comprehenſus fuiſſet, & ſupplicio affectus, uideretur ſceleſtorum hominum potentia ſuperatus is, quem totus mũdus cõtremit, qui cuncta cõmouet ſupercilio, cuius uultum inferna trepidant; ſuperna uenerantur. Is denique, qui ueniet (ut dictum eſt) cunctos mortales iudicaturus, & in his, eos etiã, à quibus ipſe eſt iudicatus. Exiſtimant nonnulli, quòd ubi audiuiſſent, Ego ſũ: ideò corruiſſe: quia illud proprium eſt nomen Dei, propterea à Deo tunc prolatum tantam uim habuiſſe: hoc acutius dictum arbitror, quàm uerius: nam ex uoluntate tantum proferentis illa uerba uim ſumpſerunt. Illud indicat, quòd eadem uerba repetita nullam aliam uim habuerunt, quàm ut caperetur. Et vt ſemel dicam, Ego is ſum, qui nullã vim ineſſe verbis exiſtimem, quatenus uerba ſunt, ac ne in ſacramentorum quidem uerbis. nam illic nihil agunt, niſi quod ſignum ſunt rei ſacratæ. Ecce tibi alii quidam, qui & ipſi exiſtimantes (ut par eſt) omne Chriſti uerbum plenum eſſe omnis ſapientiæ, ſermonem Chriſti altius trahunt, quaſi illud ſignificarit, Ego ſum. Quis ego? is ſcilicet, qui, & ſi non ſim reus culpæ, ſim tamen mea ſponte pœnæ reus. Ego pro omnibus peccatoribus ſatisfaciã. Me uultis ad ſupplicia: & ego ad id libenter accedo. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire (oſtenſis diſcipulis, & in eorũ perſona deſignato omni humano genere) ſinite abeant illi incolumes: nemo ſit eis moleſtus, me uerius eſt pro omnibus pœnas luere. Dixit, & factũ eſt; nam abierunt illi incolumes: neminem præter ipſum pœna tenuit. Sic ergo Apoſtoli fuerunt dimiſſi: ne ſi ſimul paterentur, quis putaret ipſius mortem ſolam non ſufficere: ſolus igitur mori uoluit, ut ſolus agnoſcatur eſſe ſaluator noſter. Torcular (inquit) calcaui ſolus, & de gentibus nõ eſt uir mecum: ut eſt apud Eſaiam. Ipſe autem redemit nos, & non ipſi nos. Hoc loco propheta uſus eſt figura, quã Græci Hyppallagen, nos ſummutationem uocare poſſumus, ubi uerba præpoſterè afferuntur: nam quod dicit. Torcular ego calcaui ſolus, ita accipiendum eſt: Torcular me calcauit ſolum quale illud Vergilianum. Dare claſſibus auſtros, quum claſſes auſtris dentur. Iã Chriſtus corpore tenetur: nam in animum non eſt manus iniectio, qui in eo conſtans, & quietus apparuit. In hoc Oliuarum monte, unde captus eſt, uigilare,

&

& orare ſolebat:illinc etiam ad cœlos aſcendit. Forſitan ut oſtenderet nobis non niſi per multas uigilias & tribulationes,aſcenſum ad regna cœleſtia dari. Eundem Petrum arguit Chriſtus,quum in eius captura educto gladio percuſsit pontificis ſeruum,& abſcidit dextram auriculam. Ieſus autem apprehenſum eum ſanauit,& iuſsit Petrum cõuertere gladium ſuum in uaginam. Hic oſtenſum eſt,quod Chriſtus hoſtibus beneficia ſcit, & uult dare: arma pro ſe ferri recuſat aduerſus legitimas poteſtates, quod primis temporibus præſtitit eccleſia:nuſquam enim armis aduerſus reges & populos contendit, ſed pertulit omnia,quæ aduerſariis inferre libuiſſet. Poſt quàm autem imperatores & populos habuit fauentes:tunc defenſa armis cõtra impios religio eſt,nuſquam antea:omnis enim poteſtas( ait Apoſtolus) à Deo eſt:quicunq; poteſtati reſiſtit,Dei ordinationi reſiſtit. Imperat terrena poteſtas legitimũ aliquid, parendum eſt: ſin aliter,non armis,ſed patientia cõtendendum eſt, & ira eorum ferenda:& nihil quod durum & acerbum ſit, honeſti cauſa recuſandum. Vt autem oſtenderet non ſolum uerbo,ſed etiam re factum illud Petri ſibi nõ placuiſſe,eum,cui Petrus abſcidit auriculam ſanauit: qua in re etiam exemplum præbuit,quemadmodum dictum eſt,ut iniquos etiam homines,& quibus odio ſumus,beneficio iuuemus.Sed quid eſt, quòd Chriſtus tantopere corripuerit Petrũ,qui gladio percuſſerit, cum cõminatione, quòd qui gladio feriret,gladio periret.Hoc enim non uidetur cõuenire his, quæ paulò ante poſt cœnam ad paſsionem profecturus dixerat, nam quum interrogaſſet diſcipulos:num quando miſiſſet eos ſine ſacculo,& pera,& calciamentis,aliquid defuiſſet,& illi reſpondiſſent,nihil. Nunc (inquit) qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet, uendat tunicam ſuam,& emat gladium:deinde ſignificat eis paſsionem ſuam ſæpius prædictã. Qui ergo conuenit iubere parari gladios,quaſi mox ſibi cum Iudæis rixandũ, uel belligerandũ eſſet,& coarguere diſcipulum,qui armatum põtificis ſeruũ contra ſe ſtantem gladio percuſſerat?Quid opus eſt parare gladios adeò neceſſarios, ut etiam his qui non habent, pro his emendis tunica ſit uendenda,ſi his uti non licet?Multa à multis dicuntur, utcõcilient hæc,quæ ſibi oppoſita uidentur:diuerſi diuerſa ſentiunt.Ego Chryſoſtomi accedo ſententiæ, qui illa putat à Chriſto dicta diſcipulis,ut oſtenderet, quòd in ſe Iudæi cum armis impetum facerent,quaſi ad bellum eſſent ituri,& aduerſus diſcipulos gladiis armatos ſibi eſſet contendendum.Chriſtum autem non eo animo illa dixiſſe,ut gladiis defenderetur,uel illud indicat, quòd mox ſequutum eſt. Nam quum his auditis dixiſſent diſcipuli prolatis duobus gladiis. Ecce duo gladii hic. Reſpondit.Satis eſt,quod cum ironia dictum accipiendum eſt. Quid dicam de duobus gladiis? Fac vnumquenque diſcipulorum, qui tunc aderant,gladium tenuiſſe:num vndecim gladiis Chriſtus defendi potuit aduerſus militum cohortem,& pontificum miniſtros,ab his præſertim, qui in ſtagnis & fluminibus piſcari, & in telonio ſedere, non in prætoriis militare

con-

conſueuerant. Merito autem Petrus correptus fuit: nam quũ audiſſet Chriſtum dicentem ad eos, qui uenerant ad eum comprehendendum, Si me quæritis, ſinite hos abire: non debuit Petrus adeò ira concitari, ut percuteret ſeruum pontificis, & eius auriculam abſcinderet. Si enim uoluiſſet Chriſtus armis & telis diſcipulorum defendi, non utique periiſſet à militibus, ut incolumes abire permitterent. Illud uerò Chriſti in hac eius captura egregium, quòd antequam Petrus educeret gladium, oſtendit ſe capi non poſſe, niſi uellet: nam ut hoc rurſus repetam, quum proceſſiſſet ad eos, qui uenerant armati, & quærentibus Ieſum Nazarenum reſpondiſſet. Ego ſum: abierunt ad hãc uocem retorſum, & ceciderunt in terram. Vocis nulla uidetur eſſe in re gerenda potentia, lacerti requiruntur militum & gladii: attamen ſola vox Chriſti armatos proſtrauit, & inermes quodammodo reddidit. Poſt quã captus eſt, ligauerunt eum ſcilicet, ne euaderet. Iam enim antea præmoniti fuerant à Iuda, ut ducerent eum cautè. Viderat enim multoties de manibus eorum elapſum, quum uellent occidere: verum non illum Iudæorum vincula tenuerunt: ſed funes peccatorum noſtrorum, quos diſrumpere morte ſua cupiebat. Iſta autem Chriſti captura cum his, quæ deinceps ſecuta ſunt, extremam attulit Iudæis perniciem: tum quum immiſſi Romani exercitus Hieroſolymam deleuerunt, cuius rei figura iam præceſſerat in Sanſone, qui à Philiſtæis captus, & oculis mulctatus magnam eorum manum interfecit, & in arca Dei, quæ ab eiſdem Philiſtæis capta, multipliciter eos afflixit. Deducitur ad ſacerdotum principes, qui eũ ſub ſpecie iuſti iudicii damnare cogitarãt, & damnatum tradere interficiendum Romanæ poteſtati, ne quando ipſi eſſent in crimine penes uulgus, quòd iuſtum virum occidiſſent. Hanc conſpirationem inimicorum ſuorum iam Chriſtus antea prædixerat ore Dauidis in pſalmorũ opere multis in locis, inter quæ illud extat in decimo ſexto pſalmo. Inimici (inquit) mei circundederunt animam meam, & reliqua: & ut oſtenderet auiditatem eum necandi, concludit hoc modo. Suſceperunt me tãquam leo paratus ad prædã. Si vellem nunc perſequi, quæ dicta & geſta sũt penes Annam, Caipham, Pilatum, ad quos Chriſtus ductus eſt ſigillatim, lõgius protraheretur ſermo. Quædam tamen ueluti prætereundo attingenda uidentur, in quibus hæſitatur. Et primum ducitur ad Annam Caiphæ ſocerum, qui pontifex erat anni illius. Interrogauit ergò eum pontifex de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius: de diſcipulis ſuis nihil reſpondet Ieſus, quia ſciebat ab vno eorum proditum, ab alio negatum iri, à cæteris autem deſtitutum: reſpondet autem de doctrina. Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conuenerant, & in occulto loquutus ſum nihil: Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierũt, quid loquutus ſum ipſis. Ecce hi ſciunt, quid dixerim ego. Ego (inquit) palã loquutus ſum mundo, & in occulto loquutus ſum nihil. At contrà apparet pleraque ſecretò diſcipulis reuelaſſe, maxime in ea oratione, quam ad eos

habuit poſt cœnam, & de diſceſſu eius cõſolatus eſt. Quomodo ergò in occulto loquutus ſum nihil? Huc tendit ſermo iſte, ut oſtendat ſe non furtiuã aut clancularium exhibere doctrinam, ſicuti faciũt, qui malis diſcipulos inſtruũt diſciplinis: nam in angulis & ſecretis locis loquuntur. Ipſe autem loquutus eſt in ſynagoga, & in templo, in quo omnes Iudæi conueniunt. Quòd autem non omnibus eadem palam dixit, id fiebat, non quia occultum aliquid eſſe uellet, ſed quòd pro captu auditorum ſermonem ſibi temperãdum exiſtimabat. Nolebat ſanctum dare canibus, & margaritas ſpargere ante porcos: & amicis quidem & cupidis ueritatis, noſcere per illum licebat myſteria regni cœleſtis. cæteris ea occultabat, uel in parabolis oſtendebat, ut uidentes non uideant, & audientes non audiant. Sequitur in euangelio. Hæc autem quum dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens. Sic reſpondes pontifici? Reſpondit ei Ieſus. Si male loquutus ſum, teſtimoniũ perhibe de malo, ſi autem benè, cur me cædis? Biceps argumentum, quo aduerſarius utrinque conſtringitur. Manſuetiſsimè reſpondit. Huic ſoli miniſtro Chriſtus legitur duntaxat reſpondiſſe: Credo ob eam cauſam, quòd iniuſſu magiſtratus, & nondum cognita eius uoluntate percuſſerat: & hanc eius temeritatem Chriſtus notauit. Hoc loco exoritur quæſtio, cur non præbuerit percuſſori alteram maxillam, ſicut præceperat antea diſcipulis, ſed percuſſorem argueritiniquitatis. An quia, quòd docere præclarum eſt, id facere ſit turpè? Huic quæſtioni ſic occurritur ex Auguſtini uerbis, quòd Chriſtus paratus fuit nõ maxillam modo, ſed totum corpus ad iniuriam, & contumeliam proiicere, quod & fecit: ex quo intelligi datur illud præceptum de maxilla altera ita accipiendũ, nõ quaſi opere oporteat illud implere. Ridiculum eſt enim, ſi quis percuſſori porrigat etiam alteram, quaſi ille malè prætermiſerit: deinde quæ ratio eſt præbendi potius maxillam alteram, quàm os, & dẽtes, aut aliud corporis membrũ? ſufficit ergò ita paratũ eſſe ad accipiendum alias percuſſiones, ſiue in eadem, ſiue in altera maxilla, ſiue aliundè in corpore repercutere uelit, Id, quod de altera maxilla Chriſtus uerbo docuit, hic facto, quomodo intelligendum eſſet, expoſuit, qui nõ maxillam alteram, ſed totum corpus percuſſoribus permiſit. Dimiſſus ab Anna ducitur ad domum Caiphæ pontificis, ubi phariſæi, ſcribæ, & ſeniores audita Chriſti captura cõuenerant. Illic accuſatus eſt falſis criminibus, & falſi in eum teſtes conquiſiti. Nouiſsimè ueniunt quidam dicentes. Hunc audiuimus dicentem. Poſſum deſtruere templum Dei, & triduò reædificare illud. Demum adiuratus, ut diceret, ſi eſſet filius Dei: & reſpondiſſet ſe eſſe, & ammodo uiderent filium hominis ſedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cœli, conclamatum eſt ab omni concilio. Reus eſt mortis. Hæc quàm indigna ſint, quis non uidet? Mendacium accuſat ueritatem: Cæcitas de luce fert teſtimonium, iniquitas iuſtitiam iudicat. Cæterum quis poteſt dicere, quæ reliquo noctis ſpacio pertulit: non iam uerba ſed facta: certè conſtat eum ſputis fœdatum,

&

& colaphis cæſum,& quum uelatis oculis in faciem palmis percuteretur,iuſſus diuinare quis ille,qui percuſſiſſet,qua de re nomen prophetæ in eo deriſum. Sequitur Petri abnegatio. Vbi ſunt animorum illa uerba Petri quibus pollicitus eſt ſe omnem caſum carceris & mortis cũ domino ſubiturum? Illa etiam requiro, quòd dicenti ad eum domino: Quò ego uado, non potes me modo ſequi: reſpondit: Quare non poſſum te ſequi modo? animam meam pro te ponam. Hoccine eſt ſequi magiſtrum, ſe negare diſcipulum? Animam pro domino ponere, negare etiam cum iuramento ſe hominem non noſſe? Et ad quorum uocem? non pontificum, non præſidum, nõ ceterorum magiſtratuum, quos quis iure poſſet timere, ſed ancillarum, & miniſtrorum, Ita ne firmiſſima eccleſiæ columna olim concuſſa eſt, contremuit, trepidauit? Oſtenſum eſt tunc non oportere hominem uiribus humanæ naturæ confidere, niſi Dei gratia adiuuerit. Et quoniam in euangelio illata eſt mentio de Anna & Caipha pontificibus, ſciendum eſt, quemadmodum ſcribit Euſebius Ioſephũ ſequutus, quòd diuina lege pontificatus erat perpetuus, nec niſi cum perſona extinguebatur. Poſtea ambitione Iudæorum effectum eſt, ut annuum eſſet munus, idque tunc à magiſtratu Romano pecunia impetrabatur. Interceſſerunt autem ab Anna pontifice, uſque ad Caiphæ pontificatum plures pontifices, quorum etiã nomina memorantur: nam Annæ quartus ipſe ſucceſſit, ita ut uideatur Chriſtus ſub Anna cœpiſſe prædicationem doctrinæ ſuæ, & diſcipulos habuiſſe, & in Caipha deſtitiſſe. Quod autem Ioannes in euangelio ſcribit Annam pontificem interrogaſſe Chriſtum de doctrina ſua, & diſcipulis eius: intelligendum eſt, quòd tribuit pontificis nomẽ Annæ, non quia põtifex tunc eſſet, ſed quia fuiſſet. Credo hunc morem fuiſſe gentis, ut qui pontificatum geſſiſſent, pontificis adhuc nomen retinerent: idque ex uerbis Ioſephi, ubi eam rem tractat, colligo. Lego etiam in euangelio pontifices collegiſſe concilium aduerſus Ieſum & pontifices concitaſſe populum, ut Barrabam eis dimitteret, & põtifices dixiſſe Pilato. Noli ſcribere Rex Iudæorum. Quomodo pontifices, ſi tantum vnicus erat per annum pontifex? niſi dicatur eos, qui illud geſſerant ſacerdotium, pontificum nomine uocatos, & hi ſunt (ut opinor) quos Marcus ſummos ſacerdotes, alii euangeliſtæ principes ſacerdotum nominant: ſeniores autem populi erant, quos nos uno collectos nomine, ſenatum uocamus. Scribæ profitebantur legis peritiam. Phariſæi uitæ ſanctitatem. hi omnes Chriſtum premebãt. Quum damnatus eſſet Chriſtus in cõcilio ſacerdotum, ſcribarum, phariſæorum, & ſeniorum populi, non auſi sũt tamen eum interficere metuentes populum, qui eum, ut prophetam habebat, ſed ſtatuerunt id fieri oportere per poteſtatem Romanam. Itaque addu cunt ad Pilatum, qui ubi audiuit eum eſſe Galilæum, miſit ad Herodem, quaſi ſubeſſet eius imperio, & ſibi non liceret de homine alienæ iuriſdictionis ſtatuere: Erat enim Herodes Galilææ tetrarcha, qui uiſo Ieſu (ut ait euangeliſta) gauiſus eſt ualdè iam multo ex tempore cupiens eum uidere,

euangeliſta ) gauiſus eſt valdè iam multo ex tempore cupiens eum videre, quia de eo multa audierat, & ſperabat ab eo ſignum aliquod fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Ergò noluit ſignū aliquod corā eo facere, ſicut ille cupiebat. Cur? an quia noluit impedire paſsionem ſuam redemptionis noſtræ cauſam, quod contigiſſet, ſi, commotus ſignis eum liberaſſet? An illud quoq; in cauſa, quod videbat Ieſus eum curioſorum more ſigna quærere, non vt gloria Dei augeretur? Itaq; illi obtemperandum non putauit, quo exemplo monemur non obſequi poteſtatibus, vbi cupiditates ſuas potius implere, quàm Dei gloriam quærere noſcuntur. Gregorius optimè in moralibus. Hoc( inquit)quòd Chriſtus interroganti Herodi nihil reſpondit, admonet: quòd quoties auditores noſtri cupiunt laudabilia noſtra cognoſcere, ſua peruerſa non mutare, taceamus. Ne, ſi oſtentationis ſtudio verbum Dei loquamur, & illorum, quæ erat culpa, non deſinat, & noſtra, quæ non erat, fiat. Illud quoq; crediderim in cauſa fuiſſe, quòd non vſus fuerit poteſtate ſua, ne videretur fuga mortis non ex clementia, & miſericordia, & ex vſu egentium ſigna feciſſe, quæ turpis ſanè fuiſſet ſuſpicio: Comtempſit Herodes Chriſtum, quum veſte alba indutum, veluti fatuum quendam, & ſimplicem nulla infectum labe remiſit. Contempſit ne Herodes Chriſtum? imò multo magis Chriſtus Herodem contempſit, quum vanam eius & inutilem cupiditatem ſilentio refutauit. Remiſſus deinde ab Herode ad Pilatum accuſatus eſt variis criminibus à principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi, quòd ſeduceret populos noua doctrina incipiens à Galilæa illuc uſque quòd prohiberet tributa dari Cæſari, quòd filium Dei ſe faceret, quæ crimina non videbantur commouiſſe admodum Pilatum: Illud maximè vrgebat, quòd Chriſtum id eſt regem ſe faceret, quoniam id Hebræis regum erat nomen: ſed regni crimen ex eo quoq; natum videtur, quòd ipſum turba multa ſequebatur ob vitæ ſanctitatem, ob ſignorum magnitudinem, ob doctrinæ veritatem, & quòd paucis ante diebus venienti Hieroſolymam magna hominum manus cum palmarum ramis obuiam proceſſerat, & deinceps clamarent. Oſanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine domini. Rex Iſrael. Et quum quidam ex phariſæis dicerent, vt increparet clamantes, reſpondit, Dico vobis, quia, ſi hi tacebunt, lapides clamabunt: hæc illum inuidioſum faciebant, ideò regium nomen obiectabant. Hoc crimen ſibi Chriſtus diluendū putauit, vt intelligeret Pilatus eum falſo crimine accuſari, ſi intelligeretur de terreno regno, quemadmodum accuſatores accipiebant: itaq; illud protulit. Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi de hoc mūdo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtiq; decertarent, ne traderer Iudæis, nunc autem regnū meum non eſt hinc. Hoc audito ſuſpicās Pilatus eū de quolibet alio regno loqui, & quale id eſſet cupiēs cognoſcere: Rurſus interrogat, Ergo rex es tu? Cui Ieſus. Tu dicis, quia rex ſum ego. Deinde non eſt altius ingreſſus quomodo rex eſſet: eſt enim regnum eius in

animis credentium, quos regit, & quibus imperat. Hinc orare iubemur. Adueniat regnum tuum. Hoc omiſit, quia oportebat de diuina eius generatione, & ad quid miſſus eſſet à patre, & veniſſet, dicere: alienum autem erat tempus docendi, quo maxime vrgebatur à Iudæis ad necem, nec erat ſpes etiam ſuadendi. Dixerat Chriſtus in illa nobili oratione poſt cœnam ad Apoſtolos. Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo. At qui erant Apoſtoli? hi ſcilicet, qui ſe tradiderant in eius diſciplinam, qui filium Dei crediderant, qui viderant miracula facientem, qui vndiq; ſequebantur Ergo talibus viris Chriſtus noluit dicere, quæ non poterant tunc portare, Pilato diceret, quæ non portare modo poterat, ſed ne audire quidem voluiſſet? Ideò vertit ſe aliò, & ſermonem attulit, quem Pilatus, vt vnus è multis, & à fide ſeiunctus percipere poterat: dicit enim ſe ad hoc natum eſſe, & ad hoc veniſſe in mũdum, vt teſtimoniũ perhiberet veritati. Omnis (inquit) qui eſt ex veritate, audit vocẽ meã. Quòd ſi quæratur, quomodo Chriſtus teſtimoniũ perhibuerit veritati, hoc facillimè expeditur. Errabat mũdus in amore temporalium, quæ enim data erant ad vſum tantum, in his mundus amorem & fiduciam ponebat. Chriſtus autem hanc falſitatem arguens veritati teſtimonium perhibuit, docens tantum præſentibus vti, & amare cœleſtia. Errabant Iudæi in falſa intelligentia legis, errabant gentes in impio idolorum cultu, qui pius putabatur. Chriſtus autem legis aperiens myſteria, & idolorum cultum deſtruens teſtimonium perhibuit veritati. Audiens autem Pilatus de veritate Chriſtum verba facientem, & dicentem ſe ad eius teſtimonium veniſſe, inductus eſt, vt quæreret ab eo, quid eſſet ueritas. Præclara quæſtio: nec tamen audiuit, quod quærebat, ſed exiit ad Iudæos. Alii dicunt Ieſum more ſuo ſilentium tenuiſſe, quòd exiſtimaret indignum eſſe, qui audiret, uel maius eſſe põdus quæſtionis huius, quàm ille ferre poſſet. Euangeliſta quaſi innuit non expectaſſe reſponſum, quia ſubito recordatus eſt conſuetudinis eius, qua ſolebat vnũ ex reorũ numero ſolemnitati diei feſti concedere, noluit moram facere credens ſe aptam inueniſſe uiam hominem innocentem liberandi: hæ afferuntur cauſæ, cur non audiuerit diffinitionem hanc ueritatis, quã pulcherrimè poſtulabat. Vt autem ad regni crimen reuertar, nõ nunc primum, ſed ab initio uſque natiuitatis ſuæ timeri cœpit Chriſtus, ne, ubi ueniſſet, terrenum hoc regnum inuaderet. Nam Herodes maior hac ratione tot millia infantium trucidauit, quòd Chriſtus in lege promiſſus ueniſſe dicebatur, quod etiam ex hiſtoriis Philonis Hebræi demonſtratur. Nihil tamen minus in cogitatione fuit Chriſti, quàm regnare hominum more circumfuſum ſatellitibus & miniſtris. Quapropter in Herodem illa canuntur in hymno.

*Hoſtis Herodes impie Chriſtum venire quid times:*
*Non eripit mortalia, Qui regna dat cœleſtia.*

Ipſe Chriſtus palam, dum in humanis ageret, & ſi Chriſtum ſe nominaret, tamen

tamen ut oſtenderet ſe non humano more regnaturum; dicebat ſe veniſſe, non ut mundum iudicaret, ſed ut mundus ſaluetur per ipſum. potuit hoc ſermone homines regni terrore liberare, dum diceret ſe non ueniſſe ad iudicandum, quod eſt præcipuum poteſtatis regiæ munus: ad ſaluandum (inquit) inn uas nondum ueniſſe tempus, ut iudicet, quod poſtmodum futurum eſt in mundi fine, tum quum expleta fuerit hominum generatio. At non modo uiuenti Chriſto, uerum etiam eo mortuo contra eius Apoſtolos hoc regni crimen uenit in medium: non enim commouebantur magiſtratus, qui erant è gentibus, quòd Chriſtus Iudæorum legem euerteret. Quid enim hoc ad eos? ergo confugiebant ad hoc regni crimen. Argumento eſt illud, quòd quum (in actis Apoſtolorum legitur) Paulus cum ſociis ueniſſet Theſſalonicam Græcam urbem & more ſuo in ſynagogis per ſabbata prædicaret, multosque non ex Iudæis ſolum, ſed ex gentibus etiam conuertiſſet, Iudæi id ægre ferentes accuſarunt Paulum & ſocios apud Principes ciuitatis & plebem, quòd concitata multitudine contra decreta Cæſaris facerent prædicantes regem alium Ieſum. Quapropter alium in locum fugere illinc compulſi ſunt. Duriora autem pro hoc regni crimine Chriſtus excepit: nam flagellari iubetur dominus à Pilato, lugubre ſanè ſpectaculum. Ecce ueſtibus ſpoliatur, uincitur ad columnam, cæditur caro repetitis ictibus ſcinditur, liueſcit, cruorem effundit. Proh dolor, pectus illud Dei flagella ſecuerunt, flagellatur tanquam reus, in quo nullum ueſtigium peccati potuit inueniri. Cingitur poſthac ſacrum caput ſpinis: diuinum illum uerticem aculeata corona circundat: quum audio ſpinis caput terebrari, cogito, quòd peccata illum noſtra pungebant: nam ut hæc aboleret, illa patiebatur. Sic pro aureo diademate ſpinæ illi impoſitæ: & ne ulla regis ſpecies illi deſit, purpuream ueſtem induitur, & pro ſceptro arundinem manu geſtare compellitur, ſecuta eſt militaris irriſio, quum ut rex Iudæorum ſalutaretur: & nihilominus caput arundine percuteretur, & facies ſputis fœdaretur: nec intra domeſticos parietes tale ſtetit opprobrium, ſed ea ſpecie foras ad populum perductus eſt. Duplici autem emendatione uidetur Pilatus uſus in Chriſto, quòd & flagellari iuſsit, & irrideri tanquam regem uoluit, ut iis ſuppliciis contentus populus eſſet, cogitans quòd & tunc ſatis pœnarum dediſſet pro regii nominis uſurpatione: & quòd deinceps Chriſtus memoria flagellorum, & irriſionis regiæ non amplius Chriſtum ſe id eſt regem prædicaret, & Pilatus quidem talia gerebat. At illi magis inualeſcebant clamantes. Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum: repetitio horum ſermonum indicat, quanta id depoſcerent cupiditate: ex quo impletum eſt illud Hieremiæ prophetæ ex Dei perſona loquentis. Facta eſt mihi hæreditas mea, ſicut leo rugiens in ſylua dedit contra me uocem. Ergò poſt tantũ clamorem multitudinis traditus eſt, ut crucifigeretur, & ut tam horribili, tamque deteſtabili ſupplicio afficeretur. Nec his finibus tenuit ſe ſæuitia, ſed tanquam parum

eſſet, quòd ad crucem duceretur, ipſe ſuam crucem ducere iubetur: nam crux humeris eius impoſita, quam ad locum ſupplicii ferret: audierat ſe cruciſigendum, ſit hoc ſatis, donec, ubi cruciſigendus eſt, perueniatur. Non eſt ſatis hoc crudelitati, ſed ut doleat corpore, maiorem etiam animo dolorem ſentiat, crucem ſuam in itinere quoque tractet, & lignum ſupplicii ſui geſtet, alios crux portat: ipſe crucem ſuam prius portauit, quàm ab ea portaretur, Verumtamen, quòd Chriſtus humeris ſuis laturus eſſet, non videtur latuiſſe prophetam, licet paulò occultius ſignificarit: dixit enim loquẽs de Chriſto, Et imperium ſuper humerum eius: nam hac cruce Chriſtus in cordibus fidelium imperauit: præceſſerat etiam huius rei nobilis figura in Iſaac, qui, quũ duceretur à patre, vt ſacrificaretur, ligna holocauſti ſui ſuismet humeris portauit. Qua in re Iſaac ſacerdotis perſonam geſsit: nam portare ligna ad holocauſtum officium ſacerdotis eſt. Fit ergo (ut ait Origenes) Iſaac hoſtia pariter & ſacerdos: quantò magis id conuenit Chriſto, quòd ut uerus ſacerdos uoluerit ſuis portare humeris lignum illud ad proprii corporis holocauſtũ: quamuis hæc alia mente à Iudæis agerentur. Illi nanq; furore perciti in Chriſtum, quem oderant, implebant neſcientes, quæ de illo præceſſerant in prophetarum uaticiniis & figuris. Accidit autem, ut in itinere magnus fieret concurſus multitudinis, & præſertim mulierũ, quæ uidentes Chriſtum tam malè deformatum, & crucem ſibi baiulantem cœperunt flere, & lamentari, quaſi ſecuræ, quòd nihil ipſæ paterentur, quibus ille ait. Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper uos ipſas flete, & ſuper filios ueſtros: Quoniam ecce uenient dies in quibus dicent. Beatæ ſteriles & uentres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Subdit poſtea. Si in uiridi ligno hæc faciunt, quid in arido fiet? Senſus eſt. Si ego unigenitus Dei filius ab omni immunis peccato non ſine igne paſsionis tranſeo: quid expectandum eſt huic populo, qui antea & nunc in me & patrem tam multum deliquit? Eadem in ſententia manet Beatus Petrus in extremis uerbis epiſtolæ prioris. Tempus eſt (inquit) ut incipiat iudicium à domo Dei: ſi autem primum à nobis quis finis eorum, qui non credunt Dei euangelio? Et ſi iuſtus quidem uix ſaluabitur, impius & peccator ubi apparebunt? Sed ut ad Chriſti uerba ueniam: Superioribus ille uerbis uidetur magis miſericordia commotus ſuper illarum pœnis, quàm ſuis, & ſimul prophetæ functus eſt munere prænuncians uentura, quod ex eo, quod in ſe Iudæi delinquerent, Ciuitas illa funditus euerteretur. An non illud factum eſt quod prædixit? Quum quadrageſimo poſt anno ciuitas obſideri cœpta eſt, & euerſa. Quot mulieres fuiſſe putas, quæ filiorum quotidiana inſpicientes funera, & cogitantes, quod paulo poſt ipſis inedia eſſet pereundum, indignarentur, quòd nemo eas aut iratus, aut miſeratus interficeret? Inter cætera uero legitur mirabile exemplum de Maria quadam, quæ fame compulſa infantem occidit filium, & ex eius

carnibus

carnibus ſe ipſam aluit. Non tamen Chriſtus potuit per totum ſpacium crucem ferre, ſed, quum deficeret uiribus, & impotens eſſet ferre, ita ut caderet, uel ſegnius iret, Simonem quendam Cyrenæum uenientem de uilla angariauerunt. Nolebant Iudæi (ut opinor) infauſtum illud & maledictum lignum crucis tangere, & attractare ipſi: ne contaminarentur, hominem peregrinum occurrentem ſibi & alterius religionis illud ferre uſque ad locum ſupplicii coëgerunt, ſeu ſuaſerunt: erat enim Libycus; nam Cyrene Libyæ ciuitas fuit multorum litteris nobilis, & celebrata: Non tamen huic uiro ad meritum ceſsit aliquod Chriſti crucem humeris ſuis tuliſſe, quia neſciens quis Chriſtus, & unde eſſet, lignum crucis portauit, ut ille citius pateretur, non ipſe crucem Chriſti amore patiebatur. Et hæc quidem & alia multa geſſit in ſolo, dum eſſet, & ut iuriſconſultorum more loquar de plano. Iam ad extremum uentum eſt. Crucifixerunt (inquit) eum. Vnico uerbo rem euangeliſta expreſsit, quæ non unico momento, ſed non niſi per multum tempus multiſque actionibus perficitur: hoc præuidens propheta ex perſona Chriſti uerba faciens latius explanauit. Foderunt (inquit) manus & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea; hic de manibus pedibuſque confixis aperta fit mentio, & illa dinumeratio oſsium ad extenſionem humani corporis in cruce pertinet. Quo me uertam? Quis dabit nunc oculis meis fontem lacrymarum? Qui gemitus idoneus tantæ indignitati? Quæ ſæuitia hæc? Quanta ſuppliciorum fœditas? O iuſtiſsime Domine, ſapientiſsime Lux mundi.

*Siccine, Te talem aſpicio? Quæ cauſa indigna ſerenos*
*Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno? Cui tantum de te licuit?*

Vbi nūc immenſum illud decus gloriæ tuæ, quam ante ſecula apud patrem habuiſti? Vbi potentia, qua cuncta creaſti, & Deo patri coæqualis es? Quid quærar? Quid defleam? opprobrium ne additur ei, qui decus eſt æternæ ſapientiæ? An manuum uulnera eius, qui cuncta fabricatus eſt? Pedes ne ſuffixos, qui ueloces erant ad effundendam ſalutem? Ita ne uerò non poteſt ſe commouere corpore, cuius nutu cætera mouentur? Hæc ne fiunt, ut cum doloribus extinguatur is, qui uita eſt omnium & iucunditas? O facinus, O ſceleſtam gentem? Et tanto ſcelere perpetrato iſtis hominibus ſydera fulſerunt, aer reſpirationē dedit, terra fruges attulit, fontes aquarum fluxerunt? Creatarum denique rerum beneficio gauiſi ſunt, qui creatorem ipſum penes ſe tam crudeliter habuerunt?

*Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras.*

(Te appello, ſi fas eſt, ſi permittitur, te inquam uoco) Vidiſti ne unquam tam horrendum, tam immane, tam crudele facinus ab una gente commiſſum? non enim quilibet homo, ſed creator tui & omnium in crucem ſublatus eſt. Sed quid te rogo, nunquid uideris? qui tunc, quum res agebatur, ne uideres, aut uideretur hæc impietas, tenebris circumfuſus delituiſti, non potuit te lucente mortalibus immenſum iſtud ſcelus confici, & quum tu uel

in te

In te ipſo potius Deus luctus ſigna oſtendiſſet, quis erit hominum tam lapideus, qui quum auxiliari amplius nequeat, toto pectore non ingemiſcat? Dolens non de recuperata ſalute, ſed de pœnis eius, per quē recuperata eſt. Ille qui olim dixerat, Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum, non viciſsim delitias, ſed ignominiam & opprobrium & ultima ſupplicia a filiis hominum retulit. Ille qui nunquam peccauit, punitur ut nocentiſsimus; & qui rerum omnium erat Dominus, plectitur ut ſeruus nequiſsimus: Crux enim ſeruile ſupplicium. Si inimicus eſſet, non poſſem ob pœnarum magnitudinem non miſericordia commoueri: At eſt amicus, nec eſt amicus modo, ſed etiā (quod maximum eſt) ſaluator. Has ergo pœnas ſalutis meæ cauſa ſuſceptas meas reputo, ut miſereor ita afflictè & perditè amantis, ut extrema perpeti ipſe voluerit, quo nos ſalui eſſe poſſemus. Sed iam fletum omittamus, reliqua uideamus. Nempè illud non omittendum cum Chriſto pariter crucifixos latrones duos, in quo illud propheticum impletum eſt. Et cum iniquis deputatus eſt: quod de ſe ſcriptum Chriſtus antea in cœna docuerat. Ecce in omnium conſpectu tres crucifixi odio habiti ab omnibus. At Chriſtus horum medius odio habitus eſt gratis, latrones verò nō gratis, ſed cum cauſa propter eorum nequitiam. Sed de latronibus poſtea. De Chriſto nūc dicamus. Enimuero ſunt quidam (ſi neſcis) qui negant Chriſtum crucifixū fuiſſe. Nam Maumethes, & qui huius viri ſuperſtitionem ſequuntur, inficiari non dubitant. Video te Euſebi commotum ob tantam eorum impudentiam: Aiunt enim quendam ſuppoſitum pro eo fuiſſe ſimilem forma, ut crucifigeretur, atque ita crucifixum fuiſſe: Ipſum autem Ieſum filium Mariæ magnum prophetam à Deo in cœlum ſublatum fuiſſe: Improbant Iudæorū ſermonem, qui aſſerunt Ieſum Nazarenum crucifixiſſe: non enim crucifixerunt, Sed crucifixiſſe putarunt: hoc re vera non factum, ſed ita uiſum fuiſſe. Hoc ut cætera eiuſdem vana, ridicula, inepta non refellere eſt opus. Nā præter euangeliorum fidem Græci omnes, Latini, Barbari Chriſtum crucis ſupplicio affectum fuiſſe uno conſenſu teſtati ſunt: hoc & crucis miraculis confirmatum fuit, & à martyribus proprio ſanguine approbatum. Conſtat autem crucifixum fuiſſe octauo Calendis Aprilis decimo octauo anno Tiberii Rubellio & Fuſio conſulibus, ut alii Sergio Galba, & Lucio Sylla, quo die uidetur etiam de ſpiritu ſancto conceptus fuiſſe: nam octauo pariter Calendas Aprilis ſalutationem Angelicam de huiuſmodi conceptu uirgo accepit.

EVS. Quoniam Marce ſingula perſcrutamur, de die minus dubitari uideo, ſed de hora crucifixionis. Ingerit nodum, quòd tres euangeliſtæ hora ſexta crucifixum fuiſſe teſtantur. Vnus Marcus hora tertia. Auguſtinus noſter, ut tam diuerſa loca conciliaret, ait Marcum ſub commemoratione horæ tertiæ reſpexiſſe ad clamorem Iudæorum, quo illi urgebant crucifixionem. Vt oſtenderet (inquit) Iudæorum magis linguis crucifixum, quàm militum manu: uult autem duas cucurriſſe horas ad tempus uſque crucis multa interpoſita

poſitâ mora, dum tumultuantur Iudæi, & conatur Pilatus eripere inſontem de clamantiū faucibus, & cunctatur pronunciare. Hæc ille. Tu verò? MAR. Quid? Tu me Auguſtino, qui tantus fuit in ſacrarum litterarum interpretatione, contradicturum putas? Haud equidem tali me dignor honore, ut cum tam potente uiro in certamen ualeam deſcendere, ſed de me minus mirum, qui ut hoſpes hæc tracto. Etenim ſi tantorum myſteriorum doctrina ſanctitate uitæ quæritur, ſi labore, ſi aſsiduitate, ſi ingenii acumine, hæc omnia tam eximie in Auguſtino concurrerunt, ut non habeam inter eccleſiaſticos doctores alium, quem illi conferre poſsim: atque ita exiſtimant omnes eum inter cæteros eminere, ueluti inter ignes Luna minores. Ego uerò hac in re Auguſtini ſententiæ accedo, ſicuti in aliis pluribus. Et ne tibi, quod Auguſtinus dicit, mirandum uideatur, repete memoria ſcripturas ſacras, ut his etiam figuris dicendi gaudeant, quibus non ſolum uulgus quotidie, ſed etiā poetæ, & oratores utuntur. Exiſtimat Marcus euangelii ſcriptor Chriſtum ea hora crucifixum, qua apud Pilatum omni contentione Iudæi certabant, ut crucifigeretur, & rectè quidem: nam quantum in ipſis fuit, crucifixerunt. Linguæ enim eorum (ut eſt apud pſalmographum) gladius acutus, imò omni acutior gladio. Nota eſt locutio, qua uſus eſt etiam torrens ille dicendi Cicero, dum ait omnes bonos Cæſarem interfeciſſe, uoto ſcilicet & cupiditate. Et eiuſdem eloquentiæ Demoſthenes, ſi uerba ualerent, orationibus ſuis & ſententiis Philippum Macedonum regem Græcia pulſum eſſe dixit. Venit etiam in mentem Virgilianum illud. Et terruit auſter euntes: ubi Seruius exponit euntes hoc eſt ire cupientes, & addidit aliud eiuſdem poetæ. Quum canerem reges & prælia, ideſt quum canere uellem: uult autem eſſe figuram à Græcis ſumptam, qua ſtatuiſſe aliquid pro inchoatione habetur. Simili locutionis genere uſus eſt Matthæus in euangelio. Mater (inquit) filiorum Zebedei acceſsit ad Ieſum cum filiis adorans & petens aliquid ab eo, petens id eſt petere cupiens: nondum enim aliquid petierat, quod oſtendunt ſequentia uerba, dum Chriſtus interrogata eam, quid uellet. Huc etiā tendunt uerba Petri in euangelio paſsionis huius. Domine tu mihi lauas pedes, hoc eſt lauare uis? nam poſtea ſequitur. Non lauabis mihi pedes in æternum. Tres Chriſtum crucifixerunt, Iudæi uocibus: Pilatus iudicio: milites opera & manu. Facinus tamen iſtud magis aſcribitur Iudæis, quorum conſilio & lingua confixus fuit, ut indicat illud Petri ad ipſos concionantis. Vos (inquit) Chriſtum per manus iniquorum ſuſpendiſti in ligno: & paulo poſt; Ieſum, quem uos crucifixiſtis, Deus ſuſcitauit à mortuis. Sic etiam Paulus ad Corinthios dixit, quòd dominum gloriæ crucifixerunt. EVS. Poſt quam tempora inquirimus: ſuccedit illud, ut quæratur, quoto anno à mundi initio Chriſtus crucem tulerit: & quid à Chriſti cruce ſuperſit uſque ad mundi occaſum: hoc enim ut aperias, poſtulo. MAR. Rectius fuiſſet hoc referre ad temporū ſupputatores, quales olim apud Græcos multi, apu Romanos Atticus, apud nos

Euſebius

Euſebius. Verumtamen ab origine mundi uſque ad virginis partum fluxiſſe dicuntur quinque millia annorum ducentum & nonagintanouem, his adde triginta tres annos, & totidem menſes, quibus Chriſtus vixit, & habebis quod requiris: quot autem ſuperſint à cruce Chriſti uſque ad mundi deflagrationem, hominum arbitror ſcire neminem: ac ne ex cœleſtibus quidem ordinibus aliquem, niſi ſi forſitan alicui cœleſtis pater uoluit reuelare. Fertur quidem oraculum quoddam Hæliæ apud Hebræos, ut Ioãnes Picus vir undequaque doctiſsimus teſtatur, duo mille inane, duo mille lex, duo mille dies Meſsiæ. Hoc Helianum oraculum, ſi uerum eſſet, iam diu mundus deflagraſſet. Origines autem noſter aſſeruit, quoniã lex uetus habet, ut agnus ad ueſperam immoletur, Chriſtum paſſum eſſe in mundi ueſpera, quo ſcilicet imagini ueritas reſpondeat. Contraxiſſe uidetur adhuc magis rem Ioannes Apoſtolus in epiſtola priori, ubi ſpaciũ hoc, quod decurrit uſque ad mũdi exitum, nouiſsimam horam uocat: ſed de fine mundi, quando futurus eſſet, uarii uaria dixere: at ex coniectura omnia: Illud quidem inter omnes conſtat ultimam hanc eſſe mundi ætatem, non quo ſenectus ulla queat illum affligere, ſiue perſonam conditoris, ſiue rationem operis ſpectemus: firmiſsimo enim & indiſſolubili nexu compegit is, qui ſupremus eſt opifex: uerumtamen eadem uoluntate deſinet, qua incœpit. At ubi in crucem ſublatus eſt, & (ut ipſe dicere ſolebat) exaltatus à terra, nihil dixit, aut fecit memorabile: imò omne pietatis, humanitatis, manſuetudinis officium expleuit. Notæ ſunt ſeptem illæ uoces, quas in ligno pendens effudit, tibi & Chriſticolis ferè omnibus: memoremus tamen, & oſtendamus illum, ne magnitudine quidem pœnæ adductum ab officio deſtitiſſe. Et illud quidem ſit primũ, quòd quum matrem & diſcipulum, quem peramabat ſtantes animaduertiſſet ſub cruce, non oblitus eſt maternæ neceſsitudinis: uni dixit. Mulier, ecce filius tuus: & alteri, ecce mater tua. Poterat hoc audiens mater in luctu mœſtiſsima dicere. Me miſeram non recuſo equidem hunc alterum, ſed uerè filius meus eſt filius Dei, non filius Zebedei: Verumtamen genus erat hoc quoddam conſolationis ad matrem ſubſtituto pro ſe altero filio: ex hoc uidetur eam commendaſſe diſcipulo. Erat quidem Maria longè meritis ſuperior Ioanne: uerumtamen propter infirmitatem ſexus uidebatur in rerum humanarum uſu auxilio egere: ideò ſcriptum eſt, quòd accepit ex illa hora eam diſcipulus in ſua. Quæ? Non enim prædia, quæ nulla habebat: nam ex his erat, qui dimiſerant omnia, & ſecuti erãt Ieſum, ſed officia & miniſteria, quæ non dimiſerat: ſed exhibere adhuc poterat. Et quod ſolet quæri. Cur Chriſtus mulieris potius nomine uſus fuerit, quàm matris, hæc redditur ratio: quia ſi matrem appellaſſet, ueritas eſt, ne dolorẽ augeret, uel forſitan (quod mihi uidetur) Chriſti hæc erat conſuetudo matrem mulieris nomine nuncupare: nam & in nuptiis hoc eodem generis nomine uſum uideo, ſicut ſe etiã filium hominis appellare ſolebat, quòd ſanè nomen de medio ſumptum

commune eſt omnibus. Docuit exemplo ſuo Chriſtus filios reuerentiã exhibere parentibus, quando ipſe in ſupremo eius labore matris curam habuerit, ut conſolaretur, quomodo potuit, & commendaret. Legimus etiam alibi, quòd erat ſubditus illis uidelicet parentibus. Nunc quam derelinquebat corpore matrem, cura non dereliquit: Etenim, ſi uerum quærimus, parentum amor caput eſt, & origo omnis charitatis, & beneuolentiæ. Quomodo enim quiſquam amare poterit fratrem, cognatum, alium denique externum, ſi parentes, quibus id debet, quòd homo eſt, negligit? Vnigenitus Dei filius matrem condiderat, quod nemo alius. Res enim erat mirabilis, ut creator matris à matre crearetur, & tamen quamuis tantus eſſet dignitate perſonæ, & plus contuliſſet matri, quàm ab ea accepiſſet, quia mater erat, ei plurimum deferebat. Recordemur illud Apoſtoli ad Timotheum. Si quis (inquit) ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli eſt deterior. Quid autem tam cuiquam domeſticum, quàm parentes filiis, aut filii parentibus? Sed abeamus à matre. Quid ei latroni factum eſt, qui à dextris pendebat? Nonne confitentem peccata ſua, & nomen illius implorantem, & dicentem. Memento mei domine, dum ueneris in regnum tuum, humanè reſpicit, & recipit in gratiam, & regnum tãtæ eius fidei pollicetur? Hodie mecũ eris in paradiſo. Quæ hæc eſt potentia hominis iam penè ſupplicii confecti? Etiam ne Chriſtus in ligno pendens edit miracula? Quæ enim maiora poſſunt eſſe miracula, quàm facere extremis in pœnis credentes in ſe? nam ſine eo non credidiſſet: deinde polliceri, quòd eum ſecũ ad regna cœlorum duceret. Inuentus eſt in ſuppliciis, qui antea non credens crederet, & conſortem ſupplicii precaretur, ut ſui meminiſſet: quũ alii, qui antea crediderant, liberi ab omni cruciatu corporis à fide deſciuiſſent. Huius latronis fidem ualde extollit, & admiratur Ioannes Chryſoſtomus, collatione de eo facta cum patribus ueteris legis, ſed melius fuerit uerba eius cognoſcere. Credidit (inquit) Abraham Deo, ſed credidit illi de cœlo loquenti: & per ſanctos Angelos ſermonem proferenti, & de propria auctoritate legem danti. Credidit & Eſaias, ſed in gloria conſiſtenti. Vidi (inquit) dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatum. Credidit & Ezechiel ſed & ipſe dominum ſuper Cherubin contemplatus eſt. Crediderũt reliqui prophetæ diuerſo modo dominum gloriæ intuentes, ſicut uidere humanæ poſsibile erat naturæ. Credidit & Moiſes, ſed de medio ignis loquenti, & in tubæ clangore, & tonitru, quæ & infidelem poterant prouocare. Hæc dico, non ut ſanctis derogem, abſit: ſed propter eum, qui ſolum per uerbum meruit paradiſum: Iſte ergò uidit ſaluatorem non ſuper ſolio regali, non adoratum in templo, non de cœlis loquentem, non per Angelos diſponentem, ſed in pœna ſociatum latronibus, uidit in tormentis, & tanquam in gloria adorat. Vidit in cruce, & rogat quaſi in cœlis ſedentem, & ut regem inuocat. O admirandam latronis conuerſionem. Nunquid ô latro iniqua aſsiduè ex-

ercens ſcripturas legebas? Nũ homicidia exercens prophetarũ uocibus te dabas? Num gladiũ acuens ad cædem diuinũ ſermonem percipiebas? Vnde eruditus es de Chriſto? Iudæi crucifixerunt, qui nouerãt legem, & legerant prophetas. Tu horũ omniũ ignarus Deũ uocas, quem uides damnatum: & recipi in regnum eius poſtulas, quem cernis crucifixũ. Hæc & pleraq; alia his ſimilia diſſerens diuus Chryſoſtomus latronis huius fidem ualde admiratur. Mihi magis admiranda uidetur, ſi nõ cũ aliis eum, ſed cũ ipſis Apoſtolis, & diſcipulis domini cõferres. Ipſi nãq; audiuerant Ieſum palã & ſecretò dicentẽ ſe filium eſſe Dei: nec audiuerãt tantũ, ſed etiã uiderant mirabilia facientem, uiderant ægrotos curãrem, mortuos ſuſcitantem, paucis panibus multa hominũ milia ſaturantem, pedibus maria ambulantẽ, dæmones de obſeſsis corporibus pellentem, fluctibus & uentis imperantem, & alia multa mira patrantem, quæ nemo præter eũ alius patrarat. Poſtremò meminiſſe poterãt ipſum & antea, & pridiè, quàm pateretur, omnia, quæ ſuper eũ uentura erãt, prædixiſſe, ne, quum fierẽt, mirarentur: & à fide priſtina deſciſcerent: attamen tanta fuit uis illius tempeſtatis, ut deficerent, & in eo, quemadmodũ etiam ipſis prædixit, ſcandalum paterentur, & ſe purum hominem, nõ etiam filium Dei ſecutos arbitrarẽtur. At iſte latro, qui tanta illa non uiderat, qui ſecutus non fuerat, cui nihil fuerat prædictum, qui etiam paulo ante (ut quidam perhibent) improperarat, & conuiciatus fuerat cum altero latrone, ſubito ſe uertit, & faſſus ſe iuſtè pro facinoribus ſuis illa perpeti, eum, ut regem cœleſtem agnoſcit, nec pœna eum ſua, nec ſimile ſupplicium eius, cui ſupplicabat, deterruit, quo minus ſalutem ab eo peteret. Hæc nõ alia ratione proceſſerũt, niſi quia Chriſtus in cruce pendens oſtendere uoluit ſe eſſe Deum, qui in extremis illis pœnis alium eodem ſupplicii genere affectum efficere potuerit diuinitatis ſuæ diſcipulum, & fidem non humani eſſe meriti, ſed gratiæ cœleſtis. Sed quid hoc? Num Chriſtus opprobriis, flagellis, cruci ſe ipſum tradidit, ut latronem unum eueheret, extolleret, glorificaret? At nõ hoc uni illi præſtitũ Sed omnibus credentibus, & uigilantibus pollicetur Chriſtus in cruce pendens regna cœlorum, etiã ſi antea per omnem uitã latrocinium exercuiſſent, dummodo in extremo uitæ, & uel inter ipſa ſupplicia conuertantur: tantum uoluit fidelem conuerſionem apud ſe ualere. Dixi antea Chryſoſtomũ huius latronis fidem admiratum nec immeritò: fuit enim maxima. Sed quid Gregorius in moralibus? Num inferiora de illo prædicat? qui etiã tribuit ei tres illas cœleſtes uirtutes ſpem, fidem, charitatem. Operæ pretium fuerit uerba eius audire: ita cognoſces, quanto intonet ore eius laudes. In cruce (inquit) manus eius pedeſq; claui ligauerant, nihilq; in eo à pœnis liberum, niſi cor & lingua remanſerant. Inſpirante Deo totum id ei obtulit, quod in ſe liberum inuenit, ut iuxta hoc, quod ſcriptum eſt, corde crederet ad iuſtitiã, ore confiteretur ad ſalutem. Tres autem uirtutes, quas Apoſtolus memorat, ſubito repletus gratia, & accepit moriens, & exercuit. Fidem namque habuit

qui

qui regnaturũ eum credidit, quem ſecũ pariter morientem uidit. Spem, qui regni eius aditum poſtulauit. Charitatem, qui collationem & ſceleris ſociũ iniquitatis ſuæ coarguit. Illud quoq; animaduerſione dignũ. Viliſsimã habuit Dei filius natiuitatem, turpiſsimã mortẽ, & ubiq; in medio poſitus, ibi uiliũ, hic ignominioſorũ: ut maioris author eſſet patientiæ & humilitatis. Natus eſt.n. in ſtabulo in medio duorũ animaliũ: ecce nũc moritur in cruce duorũ latronũ medius, ſed ut ad priora reuertar. Magna Chriſti in cruce potẽtia, magna humanitas, qui ne tũ quidem animarum ſaluti defuit. EVS. Miris hũc latronem extuliſti laudibus ex ſanctorũ patrũ ſententia. Ego tamen alia rõne hunc laudauerim, quòd uidelicet uſus fuerit arte latrocinãdi non tantũ uſq; ad crucem, ut cæteri, ſed in ipſa etiã cruce, atq; ita nõ modo uixiſſe latronem ſed etiã periiſſe. MAR. Scitũ latronem. Siquidem hæc uera ſunt. EVS. Atqui uera hæc eſſe conſtat: nam tribus horis, quibus ſuffixus ſtetit, regnũ cœlorũ rapuit, uerum confeſsione peccatorũ, & fideli cõuerſione. A diebus Ioannis Baptiſtæ (inquit Saluator) regnũ cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud: vis quodãmodo allata Chriſto uidetur, ut à ſe regnum cœlorum auferri pateretur, dũ ſe ipſum corrigit, & cæteris Chriſtũ deſerentibus ipſe corde amplexus eſt, cæteris blaſphemãtibus regem cœlorũ agnoſcit, cæteris accuſantibus defendit. MAR. Ne iſtã quidem tuã laudationem aſpernor: cõgruit enim cæteris, & peracutè inuenta uidetur. EVS. Nõ poſſum Marce nõ uehementer admirari, dum conſidero diſpares exitus horũ duorũ latronũ, quorũ unus pendebat à dextris, alius à ſiniſtris. Ieſus autem horũ medius diſcernens eorũ cauſam. Sed quid hoc? ambo erant latrones, ambo crucifixi, ambo Chriſto proximi, & tamen unus ſaluatur, alter dãnatur, hic trahitur ad fidem, ille relinquitur. Potes ne mihi cauſam huius rei afferre? MAR. Vocas me Euſebi hoc ſermone tuo ad altiſsimã prædeſtinationis diſputationem, in qua quæritur, an ulla ſit prædeſtinatio, & quæ ſit, & quid efficiat, & quomodo cũ libero humanæ mentis arbitrio cõiungatur, & cur hi electi, illi reprobi inueniantur. Verè tibi dicã, tu ſermonem meũ in meliorem partem accipias: Neminem audiui his de rebus prædicãtem, (& audiui plures) neminem legi ſcribentem (& multorũ legi ſcripta) quin in abſurda quædam & intoleranda incidere mihi uideretur. Itaq; hæc melioribus relinquenda ſunt ingeniis: à talibus autem, quales nos ſumus, rectè percipi non poſſe arbitror. Illud unũ interim tenebo nõ eſſe iniquitatem apud Deũ, ſi cui uult, miſeretur, & quem uult, obdurat. Ratiocinentur alii, diſputent, ut libet: ego tantum credã id, quod dixi, altitudinem & profunditatem iudiciorum diuinorum extimeſcã uel cum admiratione potius ſuſpiciam: non enim ſi occulta Dei ſunt iudicia ideò & iniuſta ſunt. Vis ne tibi per ſimilitudinem quandam enarrem, quod mihi hac in re accidere uideatur? EVS. Grata fuerit enarratio. MAR. Pone igitur ſeruum, aut aliquem alium eſſe in fuga, quem tu cupias comprehendere: Pone etiam te inſequentem, atque adeò à tergo inſtantem, ut manu

 penè

penè contingas,& ſæpius calcem calce atteras. Illum autem varijs gyris & circuitibus ſpem tuam eludere,te autem,dum hoc conaris nullum inſequendi finem facere, quaſi res iam tibi ſit in manibus. EVS. Quam mihi enarras ſpeciem? MAR. Eam ſcilicet,quam audis.EVS. Abſurdum ſanè & ridiculã, ſi perpetuò id agerem. MAR. At ſpes tenet,quæ de proximo effulget, poſſe omnino te fugientem comprehendere.Quid ſi longiſsimo ille abſit interuallo,ut nullo curſu credas te illum poſſe conſequi,num id conaris? EVS. Stultitia ipſa eſſem ſtultior,ſi uel id cogitarem. MAR. Non igitur inſequeris ſpe omni deſtitutus. EVS. Intellexiſti. Sed quorſum pertinet hæc ſimilitudo? MAR. Ad id, de quo agitur. Multa ſunt religionis noſtræ myſteria,quæ nullis humani ingenij viribus apprehendi queunt, qualia ſunt indiuidua trinitas,diuini verbi incarnatio,ſacramentum dominici corporis & ſanguinis,reſurrectio mortuorum,& ſi quæ ſunt talia, hæc prudentiam excedere humanã omnes uident,ſciuntſe hæc ſcire non poſſe, ideò non explorant rationem ſed ſimpliciter credunt. At ubi de diuina iuſtitia agitur, qua alij ſaluantur, alij damnantur, videmur id poſſe cognoſcere, vnde ſit, ideò inſequimur: res enim propè adeſſe uidetur, ut iam comprehendatur, illa autem fugiendo ingenia noſtra eludit,nec magis apprehendi poteſt, quàm ſi longiſsimo diſtaret ſpacio; nos autem nullum inquirendi finem facimus,nec res ſuccedit. Sed ad reliqua pergamus. EVS. Sanè cenſeo, poſtquàm ita tibi videtur. Sed aliud inquiſitione dignum nunc occurrit; nam latronem alterum blaſphemantem Chriſtus reſponſo dignum non exiſtimauit:Huic reſpondit ſed non antè quàm ſub atteſtatione ueritatis. Amen (inquit) dico tibi,quod perinde eſt,ac ſi diceret, Verè dico tibi. Quid ergo? non erat ille crediturus,niſi prius Chriſtus fidem ſuam, uel ſe ipſum potius obſtringeret? Ipſe enim eſt veritas. Quæro etiam, Cur Græci & Latini interpretes Amen illud Hebraicum non mutarunt, ſed ut inuenerant, reliquerunt. MAR. Rem requiris à me Euſebi non omnino ineptam, & facilè diſſolubilem, cupiens (ut opinor) Mariani & Paulini inſtruere adoleſcentiam. Mos enim hic erat Chriſto,ut ex euangelio colligitur,ubi contentius aliquid aſſeuerare uolebat,uti his uerbis. Amen dico tibi. Eſt enim hoc amen apud Hebræos interiectio affirmãtis,interdum aſſentientis,& comprobantis,& rem ſe ita habere cupientis: hoc loco aſſeueratio eſt,qua uſus eſt ad latronem,adeo fide eius delectatus eſt, ut eam augere uoluerit præmiſſa etiam aſſeueratione,& certiſsimum illum facere de præmio,nec mirum id videatur. Nam Deus etiam ipſe ueteri in lege, ubi oſtendere cupiebat aliquid futurum,& non mutaturum, per ſemet ipſum iurabat; At non propter latronem tantum, ſed & propter eos, qui tunc aderant,& propter eos, qui poſtmodum audituri erant, uſus eſt tã efficaci affirmatione,ut oſtenderet, quàm potens eſſet,qui latroni tanta promitteret, crucifixus crucifixo,nudus nudo,moriens morienti. Quod autem ſacrarum literarum interpretes reliquerunt Amen, quæ eſt interiectio affir-

mantis

mantis, ut dicebas, non hoc ſolum Amen reliquerunt, uerumetiam in pluribus aliis idem fecerunt, ſicuti in Racca, quæ eſt interiectio conuiciantis, & hoc crucis tempore, Vah qui deſtruis templum Dei, illud etiã Vah, quod eſt irridentis, relictum uides: credo ob eam cauſam, quod huiuſmodi interiectiones, quæ per ſe aliquid non ſignificant, ſed tantum ſono ſuo quendam animi affectum exprimunt, in aliam linguam uerti commodè non poſſe arbitrabantur, non inuenientes ſimile, aut par verbũ, quod æquè ſonaret. Quid de Alleluia, & Oſanna dicis? quæ, & ſi aliquid ſignificent, ſunt tamen uoces gaudentium: qua ratione exiſtimare poſſumus relicta fuiſſe, niſi quòd proprietatem alterius linguæ non poſſe ſufficienter recipere uidebant? & hanc quidem habeo cauſam, cur hæc Hebraica nomina in codicibus Græcis & Latinis adhuc permanſerint: Si tu autem, aut quilibet alius meliorem attulerit cauſam, non inuidebo, ſed gratias potius, ſi me docuerit, habebo. EVS. Non habeo aliud, quod dicã. Sed tamen quid eſt, quòd Chriſtus paradiſum latroni pollicetur? Hoc enim nomine paradiſi nunc primum Chriſtus uſus eſt, & quæri non incongruè poteſt, quid eo nomine ſignificare uoluerit, non enim exiſtimo illum de paradiſo aliquo, qualem homines habent, ſenſiſſe. MAR. Rectè exiſtimas Chriſtum non proprio, ſed translato uſum eſſe uocabulo. Eſt enim paradiſus locus muro circumſeptus, in quo & flores, & herbæ, & camporum gramina, & arbores, & nemora, & feræ, & ſtagna uiſuntur, locus prorſus delitiarum cauſa comparatus. Itaque quod in terris nihil paradiſis iucũdius, hoc corporeo ſigno Chriſtus ſpiritales illas delitias, quibus beati in regno cœleſti fruuntur, & ubi Deus eſt omnia in omnibus, uoluit indicare, ſicut e diuerſo contrarium locum inferorum, translato uocabulo Gehennæ nomine nuncupauit, ſiue quòd ille locus eſſet teter, horridus, peſtilens, fœtidus, formidoloſus: ſiue quòd in uallem illam (uallis enim erat) peccatores ad ſupplicia mittebantur, & plena erat oſsibus mortuorũ. Quapropter, ut ad latronem veniam, hoc nomine paradiſi ſupremam illam fœlicitatem cœleſtem Chriſtus illi pollicetur, & ita ſe habet patrum ſententia. Iſtum etiam paradiſum eſſe arbitror, ad quem ſcribit ſe raptum Paulus ſiue in corpore, ſiue extra corpus, & ibi audiuiſſe uerba arcana, quæ non licet homini loqui. Non omittendum etiam illud non oportere quempiam exemplo latronis huius differre peccatorum ſuorum pœnitentiam, uſque in ultimum vitæ diem: nam num id contingat incertum eſt propter fortuitos, & inopinatos caſus, quibus uita noſtra ſubito extinguitur: tum etiam quia timore pœnæ iamiam appropinquantis id magis fieri uidetur, quã ſtudio capeſcendæ uirtutis, & peccata illo tempore deſerere magis, quàm deſeri uidentur. Nolo plura: de hoc enim ſatis tetigi in libro de pœnitentia, quem neſcio, an legeris, legiſſe tamen arbitror. EVS. Legi equidem, & ſermonibus illis tuis ſum admodum delectatus. Itaque nihil neceſſe eſt, te iterum illa reponere. Sed perge porro ad alias uoces pendentis Chriſti: nam de hac ad latronem

facta

facta ſatis ſuperque eſt dictum. MAR. Dixi antea, ne tum quidem Chriſtum in patibulo crucis poſitum animarum ſaluti defuiſſe. An defuiſſe dicemus, quum tunc etiam patrem pro crucifixoribus orauerit? Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. Ille diſsimulata cruce, contemptis clauorũ doloribus, abiectis cæteris iniuriis orator pro ſuis malefactoribus eſt factus ad patrem, & iram eius deprecatur: opere impleuit, quod præcepit: nam præceperat antea. Diligite inimicos ueſtros: benefacite his, qui oderunt uos. Et orate pro perſequentibus & calumniantibus uos. Exauditus eſt tunc ille: impoſsibile eſt enim orationem vnigeniti a patre non exaudiri; nã quòd in hoc non fuit exauditus, illud in cauſa, quòd retulit orationem ad uoluntatem paternam. Exiſtimatur autem propter hanc orationem Chriſti magnam Iudæorum multitudinem credidiſſe: Nam Petrus paulo poſt reſurrectionem Chriſti una concione tria Iudæorum millia, altera quinq; millia ad fidem uertit. Sic Chriſti ſanguis in remiſsionem omnium peccatorum fuſus eſt, ut etiã peccatum illud, quo fuſus fuerat, deleret. Nec uerò dici poteſt Chriſtũ tam præclaræ uocis imitatores non habuiſſe: nam (ut mittã cæteros) qui primus pro Chriſti nomine ad martyrium uenit Stephanus, quum lapidaretur pro lapidantibus orauit in eandem ſententiam genu poſito dicens. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Tanto autem affectu orauit, ut genu etiam poneret. Iacobus etiam Apoſtolus, qui dictus eſt frater domini, & quadraginta annis Hieroſolymitanæ præfuit eccleſiæ, dum iuſſu Ananiæ ſummi pontificis pinna templi deiectus eſſet præceps in forum, inuentus eſt ſemiuiuus iacens extenſis in cœlum manibus pro perſequutoribus orare. Poſſum etiam in hãc rationem adducere Apoſtolum, qui à Iudæis ter cæſus, ſemel lapidatus pro Chriſti nomine, orabat tamen pro fratribus ſuis & cognatis ſecundum carnem, & optabat anathema fieri, ſi in Chriſtum credentes ipſi ſaluarentur. Idem ad Timotheum, dum de quibuſdam conqueritur, quorum nemo affuerit in ſua prima defenſione. Illis (inquit) non imputetur. Imprecationes autem, quæ fiunt in iniquos, quales ſunt multæ in centeſimo octauo pſalmo, qui in Iudam prolatus exiſtimatur, & aliæ, quæ in opere illo leguntur, ſunt expoſitæ non prophetæ optantis uoto, ſed prædicentis ſpiritu. Simili loquutione uſus eſt Apoſtolus in Alexandrum ærarium, à quo mala multa ſuſceperat: Reddat illi dominus ſecundum opera eius. Et illa uerba eiuſdem in Ananiã ſummum ſacerdotem iaculata. Percutiet te Deus paries dealbate: nulla figura imprecationis dicta ſunt, ſed apertè, quid euenturum eſſet, ſignificant. Non eſt noſtrum inuocare Deum in ultionem, ſed prouocare ad lenitatem: petendum, ut iniquos & ſceleratos homines ad ſe conuertat, & miſericordia ſua dignos faciat. congruit hoc illi, à quo petimus, cuius proprium eſt benignitatem exercere: congruit hoc nobis qui petimus, qui eadem benignitate ob peccata indigemus. Quis enim audeat ſe à peccatis immunem profiteri? Et hæc quidem ſatis perſpicua ſunt. De hoc tamen contentio oritur, utrum

filium

filium Dei eſſe cognouerint, & cognouiſſe eos indicat illa ſimilitudo, qua penes Matthæum uſus eſt, ubi agricolæ videntes filium dixerunt inter ſe: Hic eſt hæres, uenite, occidamus eum. Quem locum exponens Hieronymus inquit. Manifeſtiſsimè Dominus probat ex verbis Iudæorum principes nō per ignorantiam, ſed per inuidiam Dei filium crucifixiſſe: intellexerunt enim eſſe illum, cui pater per prophetam dicit. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Ex altera parte Chriſtus hic oſtēdit eos neſciſſe, quid facerent. Itaque pro eis patri ſupplicat, & Petrus in concione. Fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes ueſtri: & Paulus. Si cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed alibi Chriſtus eos à peccato non excuſat: dum inquit. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, & propterea ſubdit. Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem viderunt, & oderunt me, & patrem meum Dicendum autem, ſi diuum ſequimur Thomam, quòd multi ex plebe crediderunt in eum, ut oſtenditur ex Ioanne ſeptimo capite. Exiſtimantes filium eſſe Dei non natura, ſed gratia quadam excellenti & ſingulari: & ita Chriſtum eum eſſe putabant in lege promiſsum. Hi poſtea deducti ſunt à principibus, ne crederent, ut tempore paſsionis eius etiam mortē poſtularent. Principes uerò ſacerdotum, Scribæ, & Phariſei, qui ſcripturarum myſteria nouerant, odio & inuidia prohibiti ſunt, ne filium Dei cognoſcerent, nec eos huiuſmodi ignorantia ueluti affectata excuſat. Soli diſcipuli credebant filium eſſe Dei vnigenitum; nam quum in partibus eſſet Cæſareæ ſolus in uia, interrogauit, quem ſe eſſe dicerent homines. Reſponderunt. Alii Ioannem Baptiſtā, Alii Heliam, Alii Hieremiā. Vos autem quem me eſſe dicitis? Vnus eorum Petrus nomine omnium reſpondit. Tu es Chriſtus filius Dei uiui; quæ reſponſio adeò placuit, ut illi claues regni cœleſtis committeret. Et talis quidem de Chriſto erat opinio. Ego autem exiſtimo omnes cruci conſentientes oratione Chriſti eguiſſe: nam, (ut ipſe inquit) neſciebant, quid facerent, quia quicunque peccat, etiam ſi peccat dolo, ex ignorantia, ut id faciat, adducitur: dum ea ratione ſibi rebuſque ſuis rectè ſe putat conſulere: nemo enim niſi ſpecie boni oblata peccat: errat tamen, dum ſpeciem illam boni vanā & pernicioſam pro vero & vtili bono apprehendit: nam ſi uerum eſſet bonum, non noceret: Ergo (inquiet aliquis) Chriſtus pro Caipha, & Pilato, & ſacerdotum principibus in cruce orauit? equidem puto, ut aduerſus ſummā iniquitatem ſummam oſtenderet benignitatem. Iſtis tamen, qui ex odio & inuidia in Chriſtum peccarunt, exiſtimo difficilem fuiſſe regreſſum, & reditum ad ſalutem propter mentis omnimodam cæcitatem, nec tamen ſuccenſet iſtis Chriſtus, quòd nocuerunt, ſed quòd nocere uoluerunt. Quale enim nocumentum ex cruce? quum per eam tantam gloriā conſequutus ſit, quantam totus mundus capere non poſsit. Veruntamen inſpiciens eorum mentis

iniquitatem

iniquitatem Deus ſecundum hanc iudicat. Et de his quidem, qui uel ex inuidia, uel ex ignorantia in Chriſtum peccarunt, hæc dicta ſint. Quid de diſcipulis dicemus, qui nec ex inuidia, nec ex ignorãtia deliquerunt, ſed ex fidei modicitate? nam ex fide excuſsi ſunt ob atrocitatem illius tempeſtatis: nam amplius filium Dei naturalem non credebant, delectat me hac in re Auguſtini ſententia, qui in enarratione centeſimi octaui pſalmi Chriſtũ ait pro diſcipulis in cruce oraſſe, ut in fide priſtina manerent, ſicut & ante paſsionem orauerat. Primum hoc uerbum, (ut quidam memorant) à Chriſto in cruce prolatum fuit, oratio ſcilicet pro peccatoribus ad patrem, in qua uidetur pariter lacrymas effudiſſe, ſicut Apoſtolus ad Hebræos refert, addens exauditum eum fuiſſe pro ſua reuerentia. Hoc loco percutit me rurſus cogitatio quædam. Siccine ille, qui nullum unquam fecit peccatum, nec inuentus eſt dolus in ore eius, tam clemens fuit, ut ignoſceret cunctis in ſe peccantibus: Nos ſordidati peccatis, qui multa deliquimus, quibus iuſſum eſt quotidiana prece dicere: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, idem facere cunctamur? Plerique autem vſque eo non dimittũt, ut peiora etiam ſuſceptis reddant: ne illud quidem ſeruant oculum pro oculo, dentem pro dente. O ferrea pectora. Sed de his hactenus. Alia uox extitit, quum iam mori decreuiſſet. Pater in manus tuas cõmendo ſpiritum meum. Moralis hic inſinuatur locus. Si enim innocentiſsimus ille & puriſsimus in exitu vitæ Deo patri ſpiritum commendauit, quanto magis nos peccatores, qui uenia egemus, id facere debemus? Inſtruit nos exemplo ſuo bonus præceptor, ut uideatur lignum illud crucis nõ patibulum fuiſſe patientis, ſed cathedra docentis. Ab ipſo id initium natum eſt, & cõſuetudo illa deducta, qua ſolent morientes animam ſuam commendare Deo, & rogare, ut eam inter manus ſuſcipiat: nam antea ſanctorum etiam uirorum animæ inferna habitacula petebant, omni aditu ad cœleſtem regiam obſtructo. Et hæ quidem piæ, ac ſacroſanctæ erant Chriſti in cruce pendentis uoces.

*Talia perſtabat memorans, fixuſque tenebat.*

Poſtremus ſermo fuit. Conſumatũ eſt: id ſcilicet, quod de uita & morte mea ſcriptum eſt in pſalmis & prophetis: nam dixerat quoque antea in cœna paſcali diſcipulis. Et filius quidem hominis uadit, ſicut ſcriptũ eſt: & quæ ſunt de me finem habent. Nunc autem impleta ſunt omnia. Et in oratione poſt cœnam ad patrem. Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſumaui, quod dediſti mihi, ut faciam. Rurſus quinto ante paſsionem die aſcendens Hieroſolymam ad diſcipulos dixit, quòd conſumarentur omnia quæ ſcripta erant per prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, illudetur, flagellabitur, & occidetur. Itaque non eſt aliud, quod expectetur. Reſtant adhuc tamen lateris apertio, ſepultura, inferni deſtructio, reſurrectio, aſcenſio, ſpiritusſancti miſsio, iudiciũ uiuorum & mortuorum, de quibus omnibus prophetæ etiam latè prælocuti ſunt: ſed hæc omnia mortuo Chriſto contigerũt:

præter

præter iudicium uniuerſorum quod in fine ſeculi continget. pars etiam eorum ſpectat ad uictoriam, non ad certamen paſſionum, de quibus nunc agebatur. Et ut oſtenderet ſe non mori, ſed mori uelle, inclinato capite emiſit ſpiritũ: magna quidem infirmitas mori, ſed pro arbitrio mori uirtus immenſa. Quis enim tam facilè dormit, quando uult, quomodo ille eſt mortuus? Mortem enim (ut dictũ eſt) in poteſtate habebat. Poteſt aliquis ueſanus ſceleratas ſibi manus inferre: ſed hoc eſt ui deturbare animam è corpore, non nutu ponere. Solus Chriſtus habuit poteſtatem ponendi, qui habuit poteſtatem reſumendi, habens imperium uitæ & mortis. Intelligendum eſt autem morte Chriſti omnia ueteris legis ſacramenta extincta fuiſſe, omnes ceremonias & ſolemnitates Iudaicas ſublatas nouis melioribus introductis: nec uerò uim tantum illorum omnium Chriſti mors ſuſtulit, ſed imaginem etiam omnem atque umbrã deleuit: non poſſum hoc uobis planius exponere, nec elegantius: quàm Origines faciat, qui exponens illud, quod habetur in libro Ioſue, Moſes famulus Dei defunctus eſt, & qualiter Ieſus Naue, qui huius noſtri figuram gerebat, ſucceſſit illi in imperio, ſic loquitur. Niſi moriatur Moiſes: non poterimus aduertere, quomodo regnat Ieſus. Si ergo conſideres Hieruſalem ſubuerſam, altare deſtitutum, nuſquam ſacrificia, nec hoſtias, nec libamina, Nuſquam ſacerdotes, nuſquam pontifices, nuſquam myſteria leuitarum: Quum hæc omnia uides ceſſare, dicito, Quia Moſes famulus Dei defunctus eſt. Si uideris neminem ter in anno uenire ante conſpectũ domini, nec offerre munera in templo, nec iugulare paſcha, nec azyma edere, nec offerre primitias, nec primogenita conſecrare. Quum hæc omnia non uides conſecrari, dicito, quia Moſes famulus Dei defunctus eſt. Quum uerò uideris introire gentes ad fidem eccleſiæ, extrui altaria, non cruore pecudum aſpergi, ſed pretioſo Chriſti ſanguine comparari. Quum uideris ſacerdotes & leuitas non ſanguinem hircorum, & taurorum, ſed uerbum Dei per ſpiritus ſancti gratiam miniſtrantes: tunc dicito, quia Ieſus poſt Moſen ſuſcepit, & obtinuit principatum. Non ille Ieſus filius Naue, ſed Ieſus filius Dei. Quum uideris, quia paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, & azyma edimus ſinceritatis & ueritatis, Quum uideris fructus terræ bonæ in eccleſia triceſimos, ſexageſimos, & centeſimos id eſt uiduas, & uirgines, martyres, Quum uideris multiplicari ſemen Iſrael ex his, qui nõ ex ſanguinibus, neque ex uoluntate uiri, neque ex uoluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt. Et quum uideris filios Dei qui diſperſi erant, cõgregari inunũ, Quum uideris ſabbatizare populum Dei, non otium gerentem à conuerſatione communi, ſed otium gerentem ab operatione peccati: Quum hæc omnia uides, dicito, quia Moſes famulus Dei defunctus eſt. & Ieſus filius Dei obtinet principatum. Hæc Origines ſplendidè diſſeruit: nec minus uerè, nam uidemus omnes ſollemnitates, & ceromonias omnes Iudaicas unà cũ templo illo magnificentiſsimo cõcidiſſe

non eſſe amplius Moſaicæ litteræ locum, ſed ſpiritui, quem interius illa portabat, & quo noſtra meliora ſignificabat. Veſpaſianus Imperator, qui vnà cũ filio Iudæos deuicit, portauit in triumpho legem Iudæorum tanquam ſpoliũ quoddã, ut author eſt Ioſephus, cuius quidem triumphi extare etiã nunc dicuntur Romæ monumenta in uia noua, candelabra inſculpta, & duæ tabulæ veteris legis de templo ſublatæ & in triumpho ductæ. Hæc arbitror diuinitus cõtigiſſe, quia uoluit oſtendere Deus legem ueterem Iudæorum extinctam eſſe & mortuam, nec illo modo amplius ſe coli uelle. Rectè igitur templum illud uetus, quod nulli poſt mortem Chriſti futurum erat uſui, radicitus corruit, nec lapis ſuper lapidem relictus: nec ſine templo Deus eſſe uoluit, ſed aliud quoddã nouum ex lapidibus uiuis ſibi extruxit, quod fide fundatur, ſpe erigitur: charitate perficitur, & Chriſti demum ſanguine conſecratur: huius templi maior eſt gloria, quàm prioris. E V S. Video, quod dicis, & lætor nos natos melioribus annis, id eſt tempore redditæ ſalutis. M A R. Atqui quàm Iudaicæ ſolennitates, & ritus ueterum ſacrificiorum exoſi ſint Deo, poſtea quàm Chriſtus uera hoſtia apparuit, illud, quòd Iuliano apoſtata imperante factũ eſt, oſtendit. Erat Iulianus Chriſtiano nomini infeſtus: itaq; quũ & idolorum cultum, & ſacrificia paganorum iam penè extincta renouaſſet, interrogaſſetque Iudæos: cur non & ipſi Deo ſuo ſacrificarent, audiſſetque ab eis id tantum Hieroſolymæ fieri licere ſecundum patrias leges, reſtitutionem templi priſtino in loco permiſit, qui tanta arrogantia elati ſunt, ut maiore impenſa, quàm antea reſtituere conarentur: Sed ecce terræmotus ſubitò exortus omnia euertit, et multos Iudæorum ſimul oppreſsit: & poſtridie incendio diuinitus emiſſo abſumpta ſunt uſque eo, ut etiã ipſa ferramenta uaſtarentur: ex quo cognitũ eſt, quòd ſicut antea iubente Deo lapis ſuper lapidem illo in temlpo non eſt relictus, ita illic lapidem ſuper lapidem reponi nõ debere. E V S. Poſt quam de uocibus Chriſti, quas ille pendens in ligno habuit, loquimur, Quid de illa dicis, quam fortaſſe primam emiſit? Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me: nam & ſi de hac quædam dicta fuerũt, tamen rem accuratius euoluendam cenſeo. Impetunt nos Iudæi hac uoce Chriſtum confeſsũ ſe Deum non eſſe. Nam vos (inquiũt, diſputant enim ſæpius nobiſcũ contra nos) uos igitur dicere ſoletis, à uobis hoc accepimus, quod Deus apprehendit, nunquã dimiſit. An non ita dicitis? Fateri neceſſe eſt: At dixit in cruce ſe à Deo derelictum, ne id quidem negari poteſt: & nullũ maius teſtimonium propria confeſsione, conceditur, ergo non fuiſſe Deum eum, quem uos adoratis, conuincitur. Præterea quare cauſam quærit. Cur eum Deus dereliquerit? ſciebat ne cauſam, an neſciebat? Si neſciebat, Deus non erat, ſi ſciebat, ineptè quærit, vnde ſit, quoniam apud eum id erat. Sic enim illi aduerſus nos ingrediuntur. ſic laceſſunt. M A R. Iudæum ne te dicam, an Iudæorum fautorem? E V S. Neutrum. M A R. Cur igitur illorum proponis argumenta? E V S. Vt diluantur ſcilicet, & ne nos

conuincant ex noſtris literis. MAR. Arguti ſibi uidentur hæc dicentes. EVS. Fruſtra (ut opinor). MAR. Bono animo ſis: nam primum argumentum iam ſublatum habemus ex his, quæ ſuperius diximus: nam oſtendimus hoc uerbũ derelinquere in præſente cadere, qui nõ auxilietur, ueluti, ſi inimicus impetum in te faciat cum gladio, ſocium habeas in re præſenti propinquum aliquem tibi ſanguine cõiunctũ, ſed ſegniter manens tuũ ſpeculatur certamen. Nonne illi rectè dicas, ut quid me derelinquis? Quid? ſi ille reſpondeat, non te derelinquo: ecce adſum: ades tu quidem, ſed non auxiliaris: me ſanè derelinquit, qui auxilium derelinquit meum. Similiter diuinitas non dereliquerat Chriſtum, præſens aderat, ſed intus latebat nullum ferens auxilium, in tantis pœnis quieſcebat, & cõcedebat humanæ ſalutis ergò, ut pateretur, quæ paſſurum prophetarum ore fuerat pronunciatum. Si quæratur. Cur tanta eum pati conceſſerit, ab hominibus furentibus: hæc alia eſt quæſtio: ſufficit diuinitatem in eo extitiſſe: quantum tamen ad auxilium pertinet dereliquiſſe; nam derelinquit, qui opem, (quum poſsit) nullam præſens ſuppeditat periclitanti uel dura patienti. Quid ais? Nonne tibi uideor Iudæos hos recentiores repellere, & oſtendere nihil ex hoc loco eòs concludere? & illos literas noſtras aut ignorare, aut iniquè interpretari? Et me tacentẽ ueritas eos coarguit: qui enim credi poteſt Chriſtum, qui per omnem aſſeuerarat uitam ſe Dei filium, eaq; de cauſa tot miracula effecerat, ut id crederetur, & hoc tempore reum ob id facerent, quòd Dei filiũ ſe faceret, & ipſe hoc cõſtanter aſſereret, eum deinceps in extremo uitæ ſpiritu retexiſſe ſuperiora omnia, & negaſſe ſibi diuinitatem non ineſſe. Cur? ſupplicii ne metu? At illud ſupplicium iam ferebat, an ut oſtenderet ſe prius mentitũ eſſe: dum ſibi aſcriberet diuinnm nomen, & oſtenderet ſe illo dignum ſupplicio, & atrociora etiã promereri, quòd tantam rem ementitus eſſet, & credi tã fœdum mendacium laboraſſet? Quid enim fœdius, & ſuppliciis omnibus dignius, quã, ſi purus homo fuiſſet, diuinũ uſurpare nomen? Et Deum uerum & æternũ ſe profiteri? Dei filiũ ſe ita dicere, ut à patre nihil niſi origine diſtaret? Quid deinceps in eodem manens crucis patibulo, ſi Deum ſe negaſſet. Cur patrem appellat, & rogat, ut peccatũ condonet crucifixoribus? loquitur enim ad Deũ, qui ſolus peccata remittit. Et uocãs illum patrem oſtendit ſe filiũ. Quid? quòd oſtendit ſe in cœlo regnare, dũ latroni cœlorũ habitaculum pollicetur? An illud dicunt, illũ modo hoc, modo illud dixiſſe? Quid minus uerisimile proferre poſſunt, quã eũdem hominem ſibi nõ cõſtare, quũ uerba omnia inſpecta loquentis mente ſanã interpretationem recipere valeant? Sũma autem hæc eſt, quòd dicitur Deus eũ dereliquiſſe: non aliud eſt, quàm quòd poteſtati eum inimicorũ dimiſit, ſubtraxit protectionem, non ſoluit vnionem. Habes nunc, vnde Iudæos coarguas: nã omnis ferè noſtra contentio cum illis eſt de Chriſti diuinitate, quã nos aſſerimus, negant illi. Coargue illos fortiter, ſi talia deinceps aduerſus nos cœperint garrire: quãquã, quid coarguẽdo proficiamus,

neſcio: gens etenim duræ eſt ceruicis,ut eorum codices ſonant. EVS.Conabor omnino facere,ut dicis,ubi fuerint congreſsi, quòd ſi,ut mihi credant, uel ueritati potius ipſi aſſentiantur,non commouero: Illud tamen præſtabo, ne ualde putent ſe ſapientes,& minus ſibi arrogent. Sed ueniamus ad aliud argumentum,quòd proponunt: quòd Chriſtus deſertionis illius quæſierit cauſam. Eſto quòd deſertum Chriſtus à Deo in pœnis ſe dicat,quia nullum illi auxilium ſua diuinitas ferebat: hoc nō debuit ignorare, ſi quidem Deus erat: unde hoc eſſet: & tamen quærens cauſam oſtendit ſe ignorare: ergo Deus non erat: Dicit enim,ut quid dereliquiſti me. MAR. Video amaritudinem argumenti,quæ tamen facilè dilui poteſt. Interim tamen illud uideo Iudæos obiicere Chriſto,quod minus erat: nā uerba hæc. Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me,hunc poterāt accipere ſenſum, quaſi conquereretur de Deo,uel Deum coargueret,quòd in tātis illum derelinqueret pœnis. An non tibi videtur hæc verba hunc poſſe ſenſum admittere? EVS. Poſſunt apud alios,ſed non apud nos, ridiculum enim eſſet,ſi Chriſtus cōquereretur de Deo,nam de ſe ipſo conquereretur. Similiter,ſi redargueret Deum:nam ſe ipſum redargueret: Deus enim quem compellebat, in eo erat,uel potius ipſemet erat. Itaque nos nullo poſſumus modo ita interpretari. MAR. At Iudæi,qui à nobis diſſentientes negant Chriſtum Deum,& de Chriſto male exiſtimant, potuiſſent illo modo interpretari,quod tamen(ut te audio)non faciunt,non conqueri de Deo Chriſtum,non redarguere uolunt. Illud tantum impingunt ignarum fuiſſe rerum,qui cauſam quæſiuerit pœnarum ſuarum: non impingunt,ut iam dixi,quòd maius,ſed quòd minus,quū utrunque de verbis elici poſsit: maius enim crimen accuſare Deū, uel de eo conqueri,quàm ignorantia rerum teneri: id enim uel nullum, uel leue crimen eſt. EVS. Vide quid dicas: nam mihi maius uidetur crimen obiicere ignorantiam Deo,quàm de eo cōqueri,uel accuſare: ignorantia enim in alio uel paruum, uel nullum eſt crimen. At obiicere Chriſto ignorantiam, maximū eſt crimen,quia dicit eum Deum non fuiſſe, quum ignorantia in Deum cadere nequeat. Chriſtum mendacem facit, qui omnibus uiribus & neruis, ut Deus crederetur,quemadmodum a te quoque dictum eſt, contendit. MAR. Correctus igitur ſit ſermo meus ſuperior,& ſit ita,ut dicis. Sed forſitan uterque noſtrum ineptus eſt: Nā par uidetur crimen Deū accuſare iniquitatis & ignorātiæ: vtrunq; horū longe abeſt à diuina ſubſtātia,nec in eo maius aliquid,aut minus inueniri poteſt. nō,n.minus prouidens,quàm iuſtus,pari igitur reatū tenetur, qui iniuſtū Deū,& is,qui inſcientem facit: Sed id omittentes Iudæorum uerba uideamus. Erubeſcunt dicere,quòd accuſarit Chriſtus Deum iniquitatis, quia eum in pœnis deſtituerit,illud obiiciunt de cauſa. Ignorantia igitur obiicitur Chriſto,qui neſcierit, Cur eum Deus auxilio ſuo nudarit: non enim cauſam quæreret,ſi ſciret: quòd ſi ignorauit,non eſt credendus Deus: Deus autem nouit omnia, & adeò nouit, ut non ſit opus

memoria

memoria, quum præſens ſit omnibus. Iſti ex Iſraeletico genere, qui obiiciũt ignorantiam Christo, male conueniunt cum Apoſtolo Paulo, qui ad Coloſſenſes ſcribens ait, omnes in Chriſto ſapientiæ, & ſcientiæ reconditos eſſe theſauros. Sed nolent huic credere, quamuis ex eadem fuerit gente. Quid? ſi dicam Chriſtum non quæſiſſe illo ſermone cauſam aliquam, ſed utens Hieronymo authore dicam Chriſtum in cruce dixiſſe orantem uigeſimum primum pſalmum, cuius initium eſt. Deus Deus meus reſpice in me, ut quid me dereliquiſti, & perueniſſe continuato ſermone uſque ad trigeſimum pſalmum, donec ſibi occurrerit uerſus ille. In manus tuas domine cõmendo ſpiritum meum. Illic quum uentum eſſet quieuiſſe: Congruere namque uidetur initium ductum à deſtitutione diuina in cõmendationem ſpiritus in manus patris deſinere: nec ea longè abſunt, ut à Chriſto orante nõ potuerint me morari, nam à ſexta hora uſque ad nonam in crucis patibulo uixiſſe conſtat, & apparet hæc duo de deſertione & commendatione de pſalmis ſumpſiſſe. Et hæc quidem à Hieronymo, cui tu quantum credas neſcio: In ſacrarum literarum interpretatione certè magnus eſt doctor. Auguſtinus etiam, cuius doctrinam laudauimus nuper & ſanctitatem, cenſet Chriſtum in crucis patibulo hunc eundem pſalmum orantem tamquam de ſe ſcriptum protuliſſe. Certè conſtat (ſi Paulum ad Hebræos audiamus) Chriſtum ad Deum oraſſe, & cum ualido quidem clamore, & lacrymis, ut eum ſaluum faceret à morte, & exauditus eſt pro ſua reuerentia. EVS. Et ſi Hieronymi authoritas magna ſit, non tamen neceſſaria, ut compellat credere, & (quantum ego exiſtimo) vulgo hanc interpretationem ignotam arbitror. Ego quidem fateor ex te nunc primum audiſſe. Et mirum forſitan uideri poſsit (ſemota diuina poteſtate cui, quod libet, licet) hominem in tantis pœnis conſtitutum potuiſſe tot ſecum pſalmos euoluere orando, nec defuturos arbitror, qui hoc magis pulchrè coniectatum, quàm uerum uideri tradant. Attamen, ut nos multum Hieronymo tribuamus propter hominis ſanctitatem & doctrinam, cuius ſententiæ Auguſtinus quadam ex parte accedit, non idem Iudæi, cum quibus eſt colluctatio, tribuerent, præſertim quum uideant id dici, de quo in euangelio ſermo nullus; alia igitur interpretatione opus eſt, magis apta, ſi eos reuincere cogitamus. MAR. Si aliam queris interpretationem, meliorẽ ſcilicet, ego, quod mihi uideretur, iam aperui: nam mihi uidentur hæc verba eſſe hominis in nimiis preſſuris poſiti, non ut exquirat cauſam tamquã ignorans, ſed ut oſtendat nimium ſuum cruciatum: nam & ſi ignoraret cauſam, & deinceps doceatur, nihilominus ea patiatur, ita ut ſit alienum tempus cauſam quærendi. Illud prætereа te cogitare uelim, quòd ſæpius interrogat ſe ipſum aliquis de re quapiam, & ſibi ipſi idem reſpondet, tamquã inter duos res agatur: res autem ita ſe habet, ut ſint in nobis duo quædam, ſenſus ſcilicet & ratio, quorum utroque anima utitur, fit igitur, ut ſenſu ſuggerente anima aliud interroget, cui ratio ibidem manens reſpõdeat: intelligis ne? EVS.

Puto

Puto me intelligere. Vis enim dicere, quòd & ſi Chriſtus ſenſu impellente, qui detractabat illas ferre pœnas, dixerit, ut quid me Deus Deus meus dereliquiſti, tamen nihil impedire, quin poſtea ratione ducente ſibi ipſi, & intra ſe reſponderit ſe illa tanta perpeti redimendi humani generis cauſa, ideò æqua nimiter ferri oportere: huc tua (ut opinor) tendebat oratio. MAR. Rem tenes: ſed & illud quoque non piget dicere, Chriſtum ut hominem oſtendere ſe uoluiſſe, quòd non ſapiat altius, quàm quilibet alius, ueluti quum miratus eſt fidem Centurionis. Admiratio enim naſcitur ex ignoratione cauſarũ, quam & ſi ut Deus nõ habebat, oſtendit tamen tunc ut hominem ſe habere. Similiter interrogantibus diſcipulis de die iudicii, dixit, ne filium quidẽ ſcire, quòd intelligendum eſt, ut hominem: nam in forma Dei ſcientiam habet patri æqualem. In cruce autem credo vt hominem ſciſſe cauſam; cur ea pateretur, nihilominus dixiſſe, ut quid à Deo derelictus eſſet, non quia ipſe cauſam ignoraret. Sed circunſtantes acuit, ut quærerent: quemadmodum quũ pater cumulandis diuitiis intentus loquitur corã adoleſcente filio. Cur me excrucio, cur tantum in re augenda laboro? hæc loquitur, non quia ipſe cauſam ignoret, ſed ut filius inueſtiget, vel intelligat ſui cauſa elaborari, ut deinceps patrem magis diligat, & reuereatur. Similis nunc habeatur de Chriſto ratio, dum quærit cauſam paſsionis ſuæ, cur in illis pœnis fuerit Dei auxilio deſtitutus, ut id dixerit, non quia cauſam ignoraret ipſe, ſed quia cauſam præbere uoluit nobis inueſtigationis: & quum inuenerimus noſtri cauſa tanta perfunctum moleſtia, eum validius diligamus, & promptius mandata eius cuſtodiamus. Denique quid uis potius dicamus, quàm ut Chriſtum neſciſſe dicamus, cur ea pertulerit. Nouerant illum prophetæ uenturum, & ubi ueniſſet, quid faceret, quid pateretur, prædixerunt: facturum enim diuina paſſurũ humana, ſed non ita aceruatim prædixerunt, ſed per ſingula penè eius geſta profecti ſunt. Ergo prophetæ nouerãt ipſum, & ipſe, ut uenit, nouerat prophetas: & eum dicemus tũc neſcire, vnde illa tanta pateretur? Quotiens diſcipulos affatus dixit, quòd traderent eum Iudæi gentibus illudendum, flagellandum, crucifigendum? Quotiens exaltationem ſuam à terra prædicauit ſignificans qua morte eſſet periturus. Vbi uidit crucem Chriſtus, ubi clauos non aliquod cogitationi ſuæ nouum uidit, ſed iam præcognitum, & animo præconceptum. At ignorabat eorum cauſam: credo, niſi dixiſſet ſe ueniſſe, ut ſaluaret mundum, & peccatores ſaluos faceret. Sed hæc miſſa facio, propiora uideamus. Appropinquãte paſsionis ſuæ tempore in cœna illa paſchali, quid dixit? impleri tunc oportere, quæ de eo ſcripta eſſent, ea nunc finem habere. Lege (ut taceam alios) apud Lucam, his enim utitur verbis ad diſcipulos. Dico uobis, quoniam, quòd ſcriptũ eſt de me, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me, finem habent. Si legit illud Eſaiæ, quo oſtenditur eũ crucifigendum eſſe medium inter duos latrones, vtique & antecedentem legit ſermonem, quo indicatur ipſum conterendum

terendum eſſe à Domino propter iniquitates & ſcelera noſtra.Impoſuit dominus ſuper eum iniquitates omnium noſtrum.Ecce cauſam crucifixionis, quam utique cognitam habere potuit luculentiſsimè de prophetæ ſermonibus,ſi aliud non ſuppeditaret Sed quid his longius immoror? quum ipſe eadem in cœna ore ſuo illo beatiſsimo protulerit apertiſsimè cauſam paſsionis ſuæ:nam cum inſtitueret ſacramentum corporis & ſanguinis ſui precioſiſsimi,inter cætera dixit.Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.Potuit ne apertius? Sileant igitur Iudæi obtrectatores noſtri, qui ſi credunt euangelio,& credunt à Chriſto dictum.Deus Deus meus,ut quid dereliquiſti me, credant pariter euangelio ſciſſe Chriſtum cauſam ſuæ paſſionis,nec obiiciant hanc, nec ullam Chriſto ignorationem.Sin autem reiiciunt euangelium,quæ diſputatio cum illis ex noſtris codicibus efficere poteſt? ut ad lucem ueritatis perueniant: dignus quidem erat Chriſtus,ſi innocentiam,ſi uitæ ſanctitatem,ſi doctrinã,ſi(quod caput eſt) dignitatem perſonæ ſpectemus, ut à pœnis illis eriperetur: ſed ſi humanæ ſalutis cauſam ab eo ſuſceptam,ſi diuinum decretum cogitamus, oportuit ea fieri,quæ fiebant.Ipſe poſt reſurrectionem duobus illis diſcipulis in caſtellum Emmaus euntibus dixit increpans eorum tarditatem.O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus,quæ locuti ſunt prophetæ.Nonne hæc oportuit pati Chriſtum,& ita intrare in gloriam ſuam? Et hæc quidẽ mihi uidetur.Quid tibi?E V S.Ego quoq; accedo ſentẽtiæ tuæ.M A R.Heu me miſerũ,quid nã uideo?E V S.Quid eſt?M A R.Vereor.E V S.Quid uereris?M A R.Vereor inquã,ne ineptè fecerimus tã lõgã ingreſſi diſputationẽ aduerſus hoſtes eccleſiæ.E V S Nũ quædã ex ſuperioribus minus forſitã poſita rectè fuerũt,& ea cogitas retexere?M A R.Nõ hoc dico.E V S.Quid ergò affers? M A R. Dico nos ineptos fuiſſe. An nõ tibi inepti eſſe uidebimur, ſi quod paucis uerbis cõfici potuit,in eo diutius immorati ſumus?E V S.Quo modo hoc dicis? nondũ.n.intelligo.M A R.Vides ne omnẽ quæſtionẽ poſitã in duobus uerbis? E V S. Quibus? M A R. Vt quid Iudæi autem uolunt, ut habeant ſe per modum quærentis cauſam.Ego breuiter poteram dicere, ut eos refellerem,hæc duo uerba.ut quid,nõ ſemper eſſe hæſitãtis hominis, & cauſam quærentis,& de ea doceri cupientis,ſed ſæpius affirmantis. Veluti,ſi uideam adoleſcentem peruerſè agere & eum corripiens dicã. Vt quid hoc facis indignum te & maioribus tuis? certè non hæſitans hoc dico, & cupiens de cauſa doceri,ſed aſſeuerans.Similiter ſi aduerſus ingratum quẽpiam dicam.ut quid mihi profuit pro te olim laboraſſe? nemo negabit hæc ob iurgandi animo dici,non aliquid exquirendi.Simile illud ex euãgelio. Vt quid perditio hæc:potuit enim unguentum iſtud ueniundari trecentis denariis, & dari pauperibus: putas ne Iudam percunctari cauſam, ac ne potius affirmare perditionem factã cæteris diſcipulis,quibus cum loquebatur? Sic dixerim Chriſtum in cruce non percunctatum cauſam,quum dixit, ut quid

dereliquiſti me,ſed ſine cunctatione aſſeueraſſe ſe derelictum illis pœnis ſine Dei auxilio,& oſtendere uoluiſſe:quantum noſtri cauſa pateretur:uerba sũt enim hæc ( ut initio dixi ) hominis duriſsima quæque experientis. Quæres forſitan,quare addita ſunt illa duo uerba,ut quid, ſi his remotis ſenſus ſtare poteſt,quia addita illa ò amice habent emphaſim,ut Græci dicunt,ut nos intentionem,& uehementiam,qua carent, ſi ita ſermo ſimpliciter enunciatus fuiſſet.& hoc tibi in rhetoricis exercitato planum eſſe ſcio.Fac Chriſtum ita loquutum Deus Deus meus dereliquiſti me,res intellecta fuiſſet: at ubi additum fuit,ut quid me dereliquiſti,intenditur res uehementius,& ſignificantius exprimitur:nec uerò ſacræ litteræ effugiunt has figuras dicendi, quibus ualidius animus cõcitatur,ut apparet illo euangelico ſermone.Adoleſcens, tibi dico,ſurge:illud tibi dico nulla alia ratione poſitum, niſi gratia maioris expreſsionis,& demonſtrationis.Hoc ego modo paucis quæſtionem hãc diſſlare uerè potui,ita ut uideamur ineptè alia quærendo longiorem feciſſe ſermonem,niſi tibi aliud uideatur. EVS. A te in hoc diſſentio:nam & ſi paucioribus uerbis quæſtionem ſoluere potuiſſes:tamen diſputatio iſta prius habita non omnino fuit inutilis ad refellendos eos,qui pertinaciter aſſererent Chriſtum quæſiſſe pœnarum ſuarum cauſam,dum illa uerba duo,ut quid, caperentà quærente dicta fuiſſe.Sed de his hactenus:ne excuſando longitudinem ſermonis antea habiti,in nouam incidamus longitudinem.Abſurdum enim, qui defendit culpam non admiſſam,eum in ipſam incidere culpam, à qua ſe eximere conatur. MAR. Sit ita,ut dicis.Nunc te intelligere uolo tãtum ab eſſe Chriſtũ deſertum fuiſſe à ſua diuinitate,ut anima eius,ex qua parte mẽs eſt,& intellectus,ſuperiora reſpiciens,beata fuerit etiam in illis pœnis iuncta in unitate perſonæ Dei uerbo,quo aſſiduè à ſua creatione fruebatur. Sic enim dicunt noſtri Theologi:in primiſque Thomas Aquinas,quo non præſtantior alter inter Theologos recentiores.Itaque dicere poſſumus Chriſtũ beatum ſupernè,miſerabilem( malo dicere,quam miſerum ) infernè fuiſſe. EVS. Scis modo,quid te uelim? MAR. Si dixeris. EVS. Vellẽ te aliquid dicere de illa uoce,quæ una eſt reliqua. Sitio. hanc enim Chriſtus in cruce etiam protulit. MAR. Non habeo quid dicam aliud, niſi quod prius dictum, Chriſtum aridis iam inteſtinis & faucibus ob immodicam ſanguinis effuſionem ſiti fuiſſe captum.Illi autem fel et acetum ori eius obtulerunt,& impletum eſt hoc unum,quod de ſcripturis reſtabat,nam iam propheta prædixerat.Et in ſiti mea potauerunt me aceto.Sic autem intelligi uolo id eos feciſſe,non quia prædixerit propheta,ſed prophetam prediхiſſe,quia facturos uidebat.En dies ille quo retrocedunt omnia,namque(ut mittam reliqua) ipſi fontes ſitire uiſi ſunt.Iam quid excogitari poteſt indignus?Ita ne uerò ei, qui ſitienti populo in heremo è petra aquas effudit, & in epulis aquam in uinum uertit, ipſi in ſua ſiti fel & actum in potum offerunt? Nemo unquam tam obnoxius fuit damnationi, cui non ſaltem particula impediretur miſerationis

maxi

maximè poſt datam & acceptam ſententiam mortis. Creatori autem omniū qui tam largè flumina ad humanum uſum conceſsit,ne dulcis quidem aquæ gutta ad imminuendam ſitim oblata fuit,ſed ad emarulentum poculum recurritur.At amaritudinem etiam illam guſtauit,qua in re putant uulnus illud ſanatum, quod inflixerant primi parentes,dum transgreſsi præceptum delectati ſunt pomi uetiti ſuauitate.De reliquis tormentis nihil dicit, ſed de ſiti. An quia reliqua tormenta poterant uideri,nec egebant lingua interprete.Sitis autem intimis uiſceribus concepta non ita cuilibet ad aſpectum patebat:ergo eam uerbis expreſsit.Nec mirum uideatur,ſi Chriſtus ut homo ſitim, imminui aut extingui oblato extrinſecus humore cupiebat. Quidā autem ſubtilius intuentes dicunt eū non de ſiti tantū corporis,ſed de ſiti quoq; noſtræ ſalutis locutū,de quo nulla manet contentio : nā longè maximæ functū eſſe charitatis officio,uel crux ipſa,in qua pēdebat,oſtēdit,quā iuſtus pro iniuſtis,filius pro ſeruis,Deus pro hominibus ferebat. E V S. Dura uidetur interpretatio. M A R. Nequaquam duram exiſtimare debes. Nam poëtas quoque & magnos oratores ſcimus hoc ſitis uocabulo uſos pro mimia rei alicuius auiditate:nam apud illos ſitim honorum,pecuniæ, cruoris, & ſimilium inuenies,nec in ſacris litteris ſecus,quæ gaudent,ut dictum eſt, his figuris,quibus communis uita utitur,& eo magis id dicendum , quia ſecundum ſermonem Apoſtoli homo eſt exterior, & alius interior, ideò de interioris hominis ſiti loquitur penes Ioannem.Si quis ( inquit ) ſitit,ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ : hæc enim ita dicta ſunt, quaſi Chriſtus audierit populum conquerentem de ſiti & aquarum inopia. Veruntamen intelligenda ſunt non ſecundum literam, ſed ſecundum ſpiritum , uel ( ut dictum eſt ) ſecundum hominem interiorem,non exteriorem : quod ipſe Ioannes ibidem indicat, dum Chriſtum dixit loquutum fuiſſe de ſpiritus ſancti miſsione, quem poſt Ieſu glorificationem accepturi erant credentes , Simili loquutione uſus eſt ad mulierem Samaritanam . Mulier da mihi bibere : non enim tam cupiebat ſitim faucium aquæ potu extinguere,quàm eam ſitim,quæ de mulieris fide & ſalute intus in animo inerat. Tranſlatis hæc dicuntur uocabulis , ſicut in eodem euangelio mulieris Samaritanæ dicitur. Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem eius, qui miſit me. Idem de utroque loquens. Beati, qui eſuriunt , & ſitiunt iuſtitiam , quoniam ſaturabuntur . Hæc ſequens dico unà cum ſanctis patribus Chriſtum in cruce de ſiti ſalutis noſtræ pariter loquutum fuiſſe.Nonnulli interpretantur largius, ea ſcilicet de cauſa id uerbū protuliſſe,quia ſitiebat maiora adhuc ſupplicia,quàm ferebat,ut oſtenderet uberius quanti noſtram penderet ſalutem.E V S. Explicauimus ſeptem uoces,quas in cruce Chriſtus dicitur emiſiſſe:quid deinceps ſecutum eſt ? mortem dices.MAR.Ita eſt,nil iam reſtabat:de pœnis abundè ſatisfecerat obediētiæ,quā ſuſceperat,Emiſit ſpiritū editò ualido clamore id eſt animā ſeparauit

à corpore. Anima in inferno mox, ut illinc ſanctos patres erueret, corpus in ſepulcro ut quieſceret, diuinitas neutrum deſeruit, quãuis inter ſe diſiuncta eſſent, Verum mors occidit Christum, an ipſe mortem? utrunque fuit: nam & ſeiunctio animæ à corpore obuenit, & rurſus coniunctio, ſed illa breuis fuit, hæc perpetua eſt. Itaque non colimus Christiani mortuum, ſed uerè uiuẽtem, nec uiuentem modo, ſed etiam latè regnantem. Iudæos mortuos poſſumus dicere, quos iniquitas ſua interfecit, nec ab ea unquam reſurrexerunt. Extinctum putabant Iudæi Christi nomen, fruſtra: nam poſt triduanam reſurrectionem maius effectum eſt, quàm antea: tunc cœpit ſurgere, quum extinctum putabatur, nec paruo creuit incremento, ſed uſque eò peruenit, ut omnes terras, omnia maria occuparet. Hanc reſurrectionem ſi quis conſideret, dicat Christum in cruce & poſt in ſepulcro ſomnum cepiſſe, deinde uigilaſſe, ſicut per prophetam dictum eſt ex eius perſona. Ego dormiui & ſomnũ cepi, dominus autem ſuſcitauit me. Si quæris ubi nũc eſt Christus? ſcis ipſe, ſciunt omnes fideles, ſedet ad dexteram Dei patris id eſt omnem à patre conſequutus eſt potentiam: non enim in Deo dextrum eſt aut ſiniſtrum, nec ſedet pater unà cum filio, quum locus & ſeſſio ſint corporis paſſiones, quibus caret diuinitas: nec obſcura hæc eſſe poſſunt alicui, ipſe enim poſt reſurrectionem dixit datam ſibi omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Itaque regnat nunc fœliciter cum patre, & regni eius non erit finis. Nunc (ut ueniam ad ea, quorum gratia ſermo fuit inſtitutus) habes cauſas paſſionis huius tam triſtis tamque horribilis: & principalis quidem cauſa illa fuit redimendæ noſtræ ſalutis, & à peccatis laqueiſque Diaboli expediendi, & ad cœleſtia regna aditũ pandendi. Acceſſoriæ autem cauſæ multæ, uoluit autem in hac eius paſſione humilitatis, patientiæ, obedientiæ, prudentiæ mortalibus documentum præbere. Virtus enim in aduerſis magis examinatur, & perſpicitur. Aliæ etiam cauſæ allatæ ſunt, cur ita pati, & mori uoluerit, quas ſuperius expreſſi, & meminiſſe te arbitror: deinde qualia & quanta paſſus fuerit ille, perſequuti ſumus. Nunc uidemur paſſionem Christi omnem cum eius cauſis percurriſſe, nec ſanè mihi ſuppetit aliud, quod dicere ualeam, quòd ſi in aliquo defeci, ut certe defeci, (imperfecta ſunt enim omnia humana opera) peto à te, ut me adiuues, & aliqua proferas in medium, quæ ſpeculemur. EVSEB. Te uerò feci ducem ſermonis huius: ego tantum interrogare, & reſpondere, quid mihi uideatur poſſum. Et de paſſione quidem Christi, & eius cauſis hactenus mihi ſapienter uideris loquutus, & memoriter, ſed ſuperſunt tamen aliqua, quæ non de his, quæ paſſus eſt Christus: ea enim omnia fere ſunt enunciata, ſed quæ circa ea contigerunt, & dubitationem mouere poſſunt, inueſtiganda uidentur. Itaque niſi iam defeſſus es, ea requirere à te uolo, ut de his ſermone inter nos habito magis inſtruamur, & uehementius in amorem Saluatoris feramur. MARCVS. Tu uerò interro-

Tu uerò interroges quiduis licet, te tamen ita quærere uelim, ut cõmunem intelligas eſſe quæſtionem: & iudicium tuum proferas, & ne (ut dixi) adiuues: nã quod dicis me memoria ſumma explicuiſſe, quæ pertulit Chriſtus, nihil eſt, quod mirere: dedi enim aliquando operam, ut ea intelligerem, & de his ſæpius (ut Chriſtianum decet) audirem, ſcilicet curem potius ſcire geſta Cæſaris, Alexandri Magni, & aliorum imperioſorum, regum, aut populorũ, quàm Chriſti geſta, quibus nos redemit, & ianuam ſalutis aperuit? Tum fateor me nullum habuiſſe antea iudicium, ſi defeciſſem, aut etiam nunc negligerem. Gratias me agere magnas Deo addecet, quòd omnia ad animæ pertinentia ſalutem ſemper mihi curæ fuit diſcere, & ea præſertim, quibus redempti ſumus. Ergo quæramus, quæ dicis circa crucem Chriſti contigiſſe, & inueſtiganda arbitraris: nam de paſsione ſatis fuiſſe dictum exiſtimas.

# MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PASSIONE DOMINI LIBER QVARTVS.

## EVSEBIVS.

EGo, ſi me rogas, uellem, liberet nunc diſſerere de conuitiis, quæ in cruce pendentem põtifices, phariſæi, ſcribæ, & ceteri nequàm homines ieciſſe dicũtur. Nam de his etiam propheta in illo memorabili pſalmo vigeſsimo primo, ubi paſſio Chriſti quodammodo depingitur, prælocutus eſt. Omnes (inquit) uidentes me, deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput. Etenim & Matthæus quoque in euangelio teſtatur eos in irriſoriis ſuis uerbis capita mouiſſe. MAR. Quid dicam de illis, niſi non conuitia fuiſſe, ſed ſtultiloquia, quamuis fatear conuiciandi animo iaculata fuiſſe. Horum primum eſt, Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. Vah, interiectio eſt Latinis uſitatiſsima, & hoc loco inſultãtis eſt, ſeu irridentis. Irrident eum, quòd dixerit, ſoluite templum hoc & in tribus diebus ſuſcitabo illud, quanquam hoc nõ irridendi, ſed criminandi cauſa apud Caiphã obiecerint: Sed addiderũt illud, templũ hoc manu factum (ut eſt author Marcus) ne poſsit accipi eum figuratè loquutũ de tẽplo corporis ſui, ſicut ſẽtiebat, quod efficit, ne uanè fuerit dictum: nam huius dicti fidem triduana eius reſurrectione impleuit. Quid igitur obiiciunt id, quod mox implendum erat, ſi ſenſum loquentis ſequi uellent? Sin autem non bene perceperunt,

quid improperant, & in crimen uocant? Nouerant profecto Chriſtum dixiſſe ſe triduo poſt mortem reſurrecturum. Hoc mortuo iam Chriſto dicunt ipſi apud Pilatum; à quo etiam cuſtodiam ſepulcri impetrarunt, ne diſcipuli mortuum furentur. Sed non credebant futurum, ut reſurgeret. Hinc illa irriſio nata eſt. Alterum obiiciunt grauius illudentes. Si filius Dei es, deſcende nũc de cruce, & credimus tibi. Nonne iſti uidentur tibi eſſe à patre Diabolo; nam Diabulus tentans ſaluatorem, quum tuliſſet eum ſuper pinnaculũ templi, ſimiliter dicebat. Si filius Dei es, mitte te deorſum. Vos autem dicitis. Si filius Dei es, deſcende nunc de cruce. Et ut Iuuencus inquit in carmine.

*Sed nunc deſcendat ſoboles ueneranda Tonantis.*

Imò, quia filius Dei ſum, & ſoboles ueneranda Tonantis non deſcendo: nam pro peccatoribus huc conſcendi, ut eos cruci huic confixus ſoluerem à peccatis, & morte mea uitam æternam darem, non deſcendam igitur, ſed deponar. his ille uerbis non reſpondit, ſicut poterat, ſed facto oſtendit, quid ſentiret, nam ſi deſcendiſſet, ſicut illi poſtulabant, dolore cõuitiorum commotus id feciſſe uideretur, & ſalutem humani generis deſeruiſſet: inſuper maioris eiſe uidit roboris, ſi mortuus de ſepulcro reſurgeret, quàm ſi uiuens de cruce deſcenderet, quod oſtendit uanos fore eorum ſermones, dum diceret ſe credituros illum eſſe Dei filium, ſi de cruce deſcendiſſet. Quomodo enim, qui non crediderunt de ſepulcro reſurgenti, crederent de cruce deſcendenti? Inſultabant ergo illi, & uerbis deridebant eum, quem crucifixerant, patiebatur, exagitabatur ut imbecillius, qui potentiſsimus erat, his non mouebatur ſermonibus: uires ſuas prodebat ad tempus, ſeu potius occultabat maiores in reſurrectione oſtenſurus, Pilatus tentatus à Iudæis, ut mutaret tituli inſcriptionem, recuſauit: & illud retulit. Quod ſcripſi, ſcripſi: & hæc conſtantia nota erat Chriſto, qui eam dederat, ipſe non perficeret, quod incipit, locũ deſereret: hoc in prælio, nec poneret, ut pollicitus fuerat tanquam paſtor bonus animam pro ouibus ſuis, uanis commotus Iudæorum uocibus? Omnia neglexit Chriſtus præ humanæ ſalutis ſtudio: & ut de Fabio ſcripſit Ennius (ſi diuina licet humanis conferre id eſt maxima paruulis, ſublimia infimis.)

*Non hic ponebat rumores ante ſalutem.*

*Ergo uiri magis, atque magis nunc gloria claret.*

Et perſeuerantes adhuc illi in conuitiis (nam, ne crux extremum eſſet ſupplicium, addunt illuſoria uerba) Alios (inquiunt) ſaluos fecit, ſe ipſum ſaluare non poteſt. Iam gratum eſt, quòd uel ab inuitis ueritas expreſſit, quòd fatentur alios ſaluaſſe: nam quod ſubdunt, ſe ipſum ſaluare non poteſt, non eſt; quòd non ſaluet ſe ipſum, impotentiæ adſcribendum, ſed uoluntati: quanto enim minus eſt eripere ſe de crucis ſupplicio, quàm quatriduanum ſuſcitare? quàm ei, qui in cæcitate natus eſt, uiſum præſtare? Ergo qui illa potuit, id non poterit? In aliorum ſalutem potens eſt, non in ſui ipſius? Quid poteſtis minus ueriſimile proferre? Mutet ſermonem, & dicant. Alios ſaluos fe-

cit,ſe ipſum ſaluare non uult:uerum dicent,nulla erit controuerſia.Nunc ua
niloqui ſunt,dum dicunt ſaluare non poteſt.Stulti etiam,qui non intelligũt,
quòd ut alios olim ſaluos fecit,ita nunc illa patientià alios innumeros ſaluos
facturus eſt.Nam ſi ( ut petunt) nunc deſcenderet, & ſe ipſum ſaluaret , ne-
mo hominum ſaluus eſſe poſſet.Expedit enim(ut in conſilio eorum dictum
eſt.) ut unus homo moriatur pro populo.Ipſe uerò ,quid ſalute indigeat,
qui ipſa ſalus eſt,tulit ut homo ad tempus mortem,ſed mox glorioſior in re
ſurrectione apparebit,& pro hac obedientia,quòd tulit mortem mortẽ autẽ
crucis,immenſa feret præmia. Confidit in Deo,liberet,ſi uult eũ: dixit enim
quia filius Dei ſum. Fallax argumentum,multi iuſti uiri & prophetæ, quos
illi variis mortibus interfecerunt,confidebant in Deo:nec tamen ab illis ſup
pliciis eos eripuit Deus : expedit enim ſæpius illo modo interfici,quàm in le
ctulo iacentem morbo abſumi:uel naturali caloris defectu extingui.Chriſto
quidem magna ex cruce eius acceſsit gloria,& maior quàm cæteris omnibus
erat enim filius Dei.Huic poſt crucem data eſt omnis poteſtas in cœlo & in
terra, & conſtitutus eſt iudex uiuorum & mortuorum,& in nomine eius om
ne genu flectitur cœleſtiũ, terreſtrium,& infernorum.Has irriſiones & cogita
tiones Iudæorum de Chriſto occidendo optimè expreſsit propheta in libro
Sapiẽtiæ , & adeò dilucidè,ut nõ prædixiſſe uentura,ſed ſpectaſſe præſentia,
interfuiſſe rebus geſtis uideatur, cuius hæc ſunt uerba : nam ea libuit me-
moriæ mandare.Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis,
& contrarius eſt operibus noſtris,& improperat nobis peccata legis,& diffa-
mat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.Promittit ſe ſcientiam Dei habere, &
filium Dei ſe nominat,Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtra
rum,grauis eſt etiam nobis ad uidendum, quoniam diſsimilis eſt aliis uita il-
lius,et immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, &
abſtinet ſe à viis noſtris tamquam ab immunditiis, & præfert nouiſsima iu
ſtorum,& gloriatur patrem ſe habere Deum.Videamus ergo,ſi ſermones il-
lius veri ſint,& tentemus,quæ uentura ſunt illi.& ſciemus,quæ erunt nouiſ-
ſima illius.Si enim eſt uerus filius Dei,ſuſcipiet illum, & liberabit illum de
manu contrariorum.Cõtumelia & tormento interrogemus eum,ut ſciamus
reuerentiã eius,& probemus patientiã illius.Morte turpiſsima condẽnemus
eũ,erit.n.ei reſpectus ex ſermonibus illius.Hæc cogitauerunt & errauerunt:
excæcauit enim illos malitia eorum.Nonne tibi uidetur Euſebi ſanctiſsimus
propheta conſilia iſtorum penitus præuidiſſe de Chriſto occidendo : nam ut
mittam cætera.Grauis(inquit )nobis eſt ad uidendum,propterea,quòd im-
properat nobis peccata,& uias noſtras tanquam immunditias abominatur,
& ſcientiam Dei promittit ſe habere,& filium Dei ſe nominat.Hi ſermones,
hæ ſententiæ non in alium hominem cadere poſſunt,quàm in Chriſtum qui
ſe Dei filium prædicabat , & ſacerdotum,ſcribarum , phariſæorum peccata
acriter inſectabatur,ut ex euangelio colligere licet.Inde odium natum, & ex
odio

odio cõſiliũ necis. Põdera inſuper uerba illa, propter quæ hunc locum adduxi, Videamus ergò, ſi ſermones illius ueri ſint, & tentemus, quæ uentura ſint illi. Si enim eſt filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manu aduerſantium. Contumeliis & tormentis interrogemus. Hæc uerba, quantulum differunt ab his, quæ ſub cruce dixerunt: Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet, ſi uult, eum: dixit enim quia filius Dei ſum. E V S. Hæc dum audio, uenit in mentem Lycaonis illius Ouidiani, qui ſimile quiddam facere molitus eſt: nam illic Iupiter in cõſilio Deorum aſſerit ſe de cœlo decendiſſe.

*Et Deus humana terras ſub imagine luſtro,*

Ita enim locutus eſt: Paulò poſt ſubdit.

*Signa dedi veniſſe Deum, vulguſq́ precari*
*Cœperat; irridet primò pia vota Lycaon:*
*Mox ait experiar: Deus hic diſcrimine aperto*
*An ſit mortalis, nec erit dubitabile uerum.*
*Nocte grauem ſomno, nec opina perdere morte,*
*Me parat: hæc illi placet experientia ueri.*

M A R. Similis hæc omnino Lycaonis cogitatio Iudæorum cõſiliis: nam utriq; Deũ uiſum in terris ſub humana ſpecie, & ſigna dantem ueniſſe Deum interficere uoluerunt: ut experirentur, utrum Deus eſſet, quia Dei putabatur præſcire malum ſibi imminens, & ab eo cauere. At Lycaon cogitata efficere non potuit: Iudæi effecerunt, in hoc diſpares: at in exitu ſiniſtro rurſus ſimiles inueniuntur: nam pro hac impiiſsima experientia Lycaon pœnas dedit, ut fabulas ſequamur. Iudæi in re non ficta ſed uera ueras etiam pœnas luerunt. Sed ad rem iam redeamus. Multa his alia cõſimilia in Chriſtum in cruce pendulũ iactata ſunt contumelioſè, ueluti ut ſuperbum, & glorioſum, qui ſe filiũ Dei & regem faceret. Quidquid & accedentes milites illudebant ei, ut eſt apud Lucam. Si tu es rex Iudæorum ſaluum te fac: non obiiciunt ei diuinitatem, ſed ut milites & Ethnici regnum. Non etiam tam mirum, quòd principes ſacerdotum, ſcribæ, & phariſæi, qui odio Chriſtum inſequebantur, has iacerent contumelias, quàm quòd latrones, qui pariter cum eo crucifixi erant, eadem improperabant, eadem ecnctabant, non contenti iſti ſceleribus ſuis, pro quibus pœnas pendebant, auſi ſunt ſupplicii ſocio conuiciari. Credo, quum audiſſent alios de inferiore loco conuiciantes, imitatione ductos eadem dixiſſe, nõ enim mihi fit veriſimile eos prius cœpiſſe. Loquor autem nũc quemadmodum Matthæus & Marcus in euangeliis ſuis loquuntur. Lucas autem rem aliter narrat. Vnus (inquit) de his qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum dicens, Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum dicens, Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & nos quidem iuſte: nam digna factis recipimus. hic autem nihil mali geſſit. Deinde ponit uerba latronis ad Chriſtum, & Chriſti ad

la-

latronem. Non aperit tamen Lucas uter latronum fuerit, qui improbarit alterum, & fuerit ad fidem conuerſus. Ex euangelio tamen Nicodemi colligitur eum fuiſſe, qui à dextris pendebat, illud tamen euangelium eccleſia non recipit propter quædam falſa illic admixta. Videtur ergo Lucas contrariari Mathæo & Marco, qui ſcribunt latrones, qui crucifixi cũ eo erãt, in Ieſum cõuitiatos. E V S. Hoc uerè me ſemper mouit, quòd appareat euangeliſtas repugnãtia ſibi hac in re loquutos. Itaque expecto audire, quomodo hæc, quæ uidetur, repugnantia ſoluatur. M A R. Omnino ſtandum eſt ei, quod aſſerit Lucas, qui explicitè rem geſtam exponit: Matthæus & Marcus breuiter & generaliter hunc locum perſtrinxerunt, dum aſſerunt latrones improperaſſe, & cõuitiatos ei fuiſſe. Auguſtinus in pulcherrimo libro, quem ſcripſit de cõſenſu euangeliſtarum, hanc euoluens quæſtionem aſſerit, quòd ita demum Matthæus & Marcus contraria poſuiſſent, ſi dicerent ambos latrones in Chriſtum blaſphemaſſe: nunc dixiſſe illos ſimpliciter latrones: quæ locutio uera uideri poteſt, ſi uel unus tantum blaſphemaſſet, quaſi ſit poſitus pluralis numerus pro ſingulari, ſicut in epiſtola ad Hebræos, obturauerunt ora leonum, quum ſolus Daniel ſignificetur: & ſecti ſunt, quum de Eſaia ſolo id tradatur. Adducit pariter illud de pſalmo. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius: nã illic quoque illud reges & principes accipiuntur pro ſingularibus hominibus, Herode ſcilicet & Pilato: & ita pſalmum intellexerunt Apoſtoli, & qui cum eis erant, ut in actibus legitur Apoſtolorum. In eandem quoque interpretationem tranſit Ambroſius afferens quoque illud de epiſtola ad Hebræos. EVS. Dura ſanè uidetur interpretatio. M A R. Noli quæſo duram exiſtimare: nã uſitata eſt hæc loquutio apud eos, quorum elegantiam ſermonis miramur. Quis noſtrum non didicit à pueritia Virgilianum illud. Inſcripti nomina regum Naſcuntur flores: regum id eſt regis, ut Seruius exponit. Similiter dictũ eſt apud Terrentium, Non poſſum perpeti meretricum contumelias, quum de una tãtum meretrice loqueretur. Cicero epiſtola penultima ad Cœlium: exemplo potentiſsimorum duorum. Qui omnes (inquit.) Caſſios Antonioſque complexi ſunt. Is ita loquitur, quum de uno Caſsio & Antonio ſentiret: ſed ita loquitur rem exaggerans & faciens ampliorem, tanquam de pluribus loqueretur. Quid popularis ſermo? Nonne idem habet? dicam aliquem habere filios, & ſi unicum habeat: dico me Sempronio negotia mea mandaſſe, & ſi unum tantummodo mandauerim. Multa ſunt huiuſmodi: Sacræ autem ſcripturæ, quæ ab hominibus confectæ ſunt & ad homines loquuntur, eo utũtur ſermone, quo homines inter ſe uti conſueuerunt. Quamobrem non eſt mirandum, ſi Matthæus & Marcus dixerint latrones blaſphemaſſe, quum alter tantum eorum id fecerit. Hieronymus putat utrunque ab initio maledicta in Chriſtum congeſſiſſe, deinde deſtitiſſe alterum adductum miraculis, quæ tunc circa Chriſti crucem fiebant, nec deſtitiſſe tantum, ſed etiam ſociũ

corripuiſſe,ipſum poſtrèmo credidiſſe,& pro ſe Chriſto ſupplicaſſe,hoc quoque Ambroſio uideo placuiſſe.Mihi tamen prior ſententia probabilior uidetur. E V S. Mihi ſæpe mirum uidetur, quòd euangeliorum ſcriptores ſibi ipſis contraria ponere uidentur.Itaque quid hac de re ſe ntias, audire ſanè uelim M A R. Nulla ſunt in euangeliis loca,quæ ſibi ipſis contraria ſint,ac nequeãt conciliari,qua in re Auguſtinus egregiam operam nauauit libro edito,quem de conſenſu euangeliſtarum inſcripſit,& in ipſis locis, quæ contraria uideri poſſunt, alii ſacri interpretes proſequuntur. Attamen uel hoc ipſum confirmare poteſt euangelii ueritatem,quòd illi quatuor uiri, qui euangelium ſcripſerunt,quum in ſumma rei conſentiant,in quibuſdam circunſtantibus negotium diſcrepare uideantur:non enim iam illa ſuſpicio relinquitur eos inter ſe euangelium contuliſſe:& ita ex compoſito & quaſi præparatos ueniſſe,ut inania ſuaderent:hoc enim teſtimoniorum ueritatem eleuat, quum teſtes per eundem præmeditatumque ſermonem deponere uidẽtur. Hic animaduertere licet ſpiritus ſancti prouidentiam, quo dictante illi uiri ſcripſerunt:uoluit .n. Deus in quibuſdã, quæ ad fidei & religionis caput non pertinerent,diſſentire verbis, ut idem tamen eſſet ſenſus. Ita factum eſt, ne,ſi iidem per omnia eſſent,res ex collocutione ficta ueluti de ſcena prodire uideretur:& nihilominus eadem ſtante ſententia ueritas hiſtoriæ conſtaret, ſed ea res prudentem & uigilantem lectorem requirit. Excuſari etiam poſſunt euangeliorum ſcriptores ut homines, ſi in quibuſdam minutulis, in quibus religio noſtra non periclitatur,diſſentirent.nam ne diligentiſsimi quidẽ hiſtorici effugere potuerunt,ne inciderent in hominum opiniones,qualiter, quidque eſſet geſtum, quum tamen, quid geſtum eſſet, omnibus pateret. Et hæc quidem dicta ſint in uniuerſum de locis ſacræ ſcripturæ contrariis, poſtquàm ſententiam meam ſciſcitari uoluiſti.Accedere autem ad ſingula, & oſtendere quémadmodum uarietas illa uerborum nihil officiat, quominus eadem ſit ſcribentium ſententia,non eſt præſentis operis,nec ſpeculationis.E V S. Nunc quærendum illud puto,quod proximum eſt iam dictis.Cur Chriſtus ſalutem noſtram cruce magis redimere uoluerit, quàm alio ſupplicii genere. Notum eſt ex euangelio, quòd Phariſæi uoluerunt eum de monte præcipitem dare. Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat. Notum eſt etiam, quòd tulerunt lapides, ut iacerent in eum. Ipſe autem abſcondit ſe,& exiuit de templo. Quare noluit præcipitari,uel lapidari, uel etiam gladio obtruncari,ſed magis crucifigi?M A R.Rem rogas à multis ſæpius tractatã, atq; agitatam,qui uarias & multiplices afferunt cauſas & unamquãq; earũ idoneam. Credo te arbitrari Chriſtum in lectulo mori non debuiſſe,quanquam in lectulo etiam morientes præueniunt febrium plerũque & aliorum morborum cruciatus,non multum aliquando diſtantes à tormentis manu illatis,opus uidebatur ſupplicio,ut redimeremur à peccato, quo captiui à Diabolo tenebamur,& ſupplicio quidem ſanguinolento,quod ueluti

luti ſacrificii inſtar obtineret, ſacrificium autem ſine ſanguine nõ perficitur, atque ita Sanguinem fundi debere, & prophetarum antea oracula, & ueterum ſacrificiorum imagines demonſtrabant. At potuit Chriſtus gutta emiſſi ſanguinis nos liberare, potuit: ſed noluit, crucem ex omnibus delegit. Cur? quia horribilius omnibus erat ſupplicium & truculentius. nullum etiam magis infame, ſeruorum tantum & latronum criminibus deputatum. Quãtum autem horrent Romani crucem, uerba indicant Ciceronis in oratione, quam dixit. C. Rabirio. Miſera (inquit) eſt ignominia iudiciorum publicorum, miſera mulctatio bonorum, miſerum exilium, ſed tamen in omni calamitate retinetur aliquod ueſtigium libertatis. Mors denique ſi proponitur, in libertate moriamur. Carnifex uerò & obductio capitis, & nomen ipſum crucis abſit nõ modo à corpore ciuiũ Romanorum, ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non ſolum euentus atque perpeſsio, ſed etiam conditio, expectatio, mentio ipſa denique indigna ciue Romano, atq; homine libero eſt. Sed quid diſerti oratoris uerba profero? quum crux Latinis uel ipſo nomine ſit horribilis: nam crucem à cruciatu dictam ferunt. Illud etiam frequentatum in comœdiis, quum aliquem homines execrãtur ire in malam crucem iubentes, oſtendit, quàm crucis ſuppliciũ ſit deteſtabile. Nec apud Iudæos aliud erat, apud quos illud legebatur. Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Hoc igitur ligni ſupplicium, quod etiam lex uetus damnabat, & maledicti loco habebat, ſuſcepit Chriſtus: quod ſatis ex Apoſtoli uerbis intelligitur, Qui ad Romanos ſcribens inquit. Chriſtus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: ſcriptum eſt enim. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Non ille gutta, ſed torrente ſanguinis & per multum cruciatum uoluit humanum genus à peccato redimere, ut charitatis ignem de pectoribus noſtris uehementiorem eliceret, quum uideremus eum noſtri cauſa ſe ſe in tam dirum, tamque acerbum ſacrificium in ara crucis demiſiſſe. Ipſe enim erat ſacerdos immolans, & hoſtia, & is, qui ſacrificabatur: omnia erãt in ipſo, merito ab Hebræis ueteribus dictum eſt, quòd Meſſias erit omnia. Nouum inquies altare crucis lignum: nouum omnino, quoniam & noua hoſtia, & admirabilis pro ſcelerũ expiatione adducebatur: quo modo nec adducta fuit in templum, ut ſacrificaretur, ſed extra ciuitatẽ ſub libero & aperto cœlo ſacrificium peractum eſt, ut intelligeretur ſacrificium non pro unis Iudæis tantũ oblatum, ſed commune eſſe cunctis gentibus. Hoc igitur tam durum, tamq; horrendum ſacrificiũ ſuper crucis patibulo, quod illi uicem altaris præbuit, ſubiit Chriſtus, ut maiorem erga nos oſtenderet charitatem pro quibus illa ſponte perpeſſus eſt. Simul & quia uoluit non humilis ſed ſupereminentis patientiæ immodico cruciatu ferendo exemplum præſtare, ſicuti dictum eſt antea. Quomodo enim ſectatores diſciplinæ ſequeretur in ſuppliciis, niſi tale exemplum illis præluceret. Hinc Petrus & Andreas ueluti perſequentes domini ueſtigia in crucem ſublati ſunt: hi duo erant

germani fratres, ambo etiam Chriſti Apoſtoli, hoc quoque germanum in illis fuit, quòd uterque pro Chriſto martyrium ſubiit, & cum crucem prædicarent, ſimiliter crucis ſupplicio affecti fuerunt: lege memoriam paſsionis eorum, inuenies eos cupidè crucem appetiuiſſe tanquam membris Domini prius conſecratam, & ueluti gemmis ornatam. Dixit quandoque Chriſtus ad diſcipulos. Si quis uult poſt me uenire, abneget ſemet ipſum, & tollat crucē ſuam, & ſequatur me. Quomodo potuiſſet hoc ille dicere, niſi crucem, quā cæteris proponebat, primus ipſe portaret? Quanquam non me latet Chriſtū illo loco afflictionem quamcunque crucis nomine poſuiſſe: non tamen uidetur congruentius potuiſſe afflictionem quamcunque à Deo oblatam nuncupare, quàm eius ſupplicii nomine, quo ipſe erat decorandus. Iubet ergo unumquemque crucem ſuam tollere, & ſequi. (nemo enim ſine aliqua afflictione relinquitur) Hunc uxor parum morigera torquet, illum non obſequentes liberi, alium paupertas, alium tyrannicæ exactiones.

*Et quis non cauſas mille doloris habet?*

Vt neſcio quis poeta inquit: Nemo ſine cruce uitam hanc præterit: huic uult Chriſtus nos inſeruire, & ut philoſophi loquuntur, quicquid ſine culpa acciderit, id patienter ferre: Sed (ut dixi) libentius uſus uidetur Chriſtus crucis nomine iam tunc alludens ad ſupplicium, quod laturus erat. Nec mirandum eſt Chriſtum crucis nomine pro quolibet cruciatū uſum, quia etiā ueteres quodcunque affligeret, crucem uocabant. Vnde Terentius in Eunucho de meretricibus loquens. Crucibus iſtis, quæ nos noſtramque adoleſcentiā habent deſpicatam. Alii interpretantur crucem ſuam tollere, hoc eſt concupiſcentias noſtras crucifigere unà cum mundo. Hinc Apoſtolus ad Galatas. Chriſto affixus ſum cruci: uiuo iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. Rurſus in eadem epiſtola quaſi ad extremum, Mihi abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. & apertius etiam ſupra dixerat, quicunque autem ſunt Ieſu Chriſti, carnem crucifixerunt cum uitiis & concupiſcentiis ſuis. Idem ad Romanos eandem euoluens ſententiam. Scientes (inquit) quia uetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati. Petrus quoque ut Apoſtolatus, ita & eiuſdem ſententiæ ſocius, Chriſto (inquit) paſſo in carne, & uos eadem cogitatione armamini, quia qui paſſus eſt in carne deſiit à peccatis: ut iam non deſideriis hominum, ſed uoluntate Dei, quod reliquum eſt temporis, in carne uiuat. Hi ſermones, hæ hortationes non tam aptè alia in re cadere potuiſſent, quàm in cruce, ut uideatur Chriſtus ob hoc etiam eam decentius in ſuum ſupplicium delegiſſe. Quam ob rem, ubi quis uidet ſe à cupiditatibus relicto recto tramite in deuiū ferri, poteſt iuxta ſuperioris ſermonis conſequentiam illud de pſalmo decimooctauo orare. Confige timore carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Quid eſt enim timore diuini iudicii carnes ſuas habere confixas, niſi corporis ſenſus præſentium uoluptatum illecebris de

linitos continere, & clauis configere ne commoueantur, & quicquam contra rectam rationem moliantur? Hac cruce oſtendit nobis Chriſtus carnis ſuæ ſenſus confixos habuiſſe, & ut idem nos faciamus, hortatur, ideò grata illi ad delectum fuit. Accedat, quòd crux ſuſtollitur à terra, & in altum tendit, ita ut Chriſti militibus ſit glorioſum ſignum, quod ſequantur. Hoc innuit Chriſtus illo ſermone. Sicut Moiſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Voluit Chriſtus peccatores in ſe tanquam in ſignum inſpicere, ut ſanentur, & uiuant, ænei ſerpentis ſimilitudine: quem quum Moiſes ligno impoſitum extuliſſet pro ſigno in deſerto, quicunque de ſerpentis morſu uulnerati, ſi in id inſpexerant, ſanabantur: nam nos quoque ad necem ſerpens momorderat: tum quum primos humani generis parentes ad peccandum induxit. Habet etiam crux imaginem hominis ſtantis & extenſi: quapropter ueteres in trophæum eam erigebant, affixis illic hoſtium armis, quod ex Vergilii carminibus in undecimo poſitis liquet. Conficiebatur autem ex arboribus ramis amputatis; & ponebatur eo loco, ubi hoſtes fugam incœperant, & fuſi debellatique fuerant. Crucem igitur delegit Chriſtus ueluti monumentum ſalutis noſtræ & uictoriæ ſuæ. Continnè autem hoc, quòd id, in quo hoſtium potentiam fregit, idem uictoriæ ſignum eſſe potuit. Erigi etiam in ſignum Chriſtum oportuiſſe Simeon ſenex indicauit, qui in ulnas ſuſcipiens Ieſum paruulum, & agnoſcens maximum, quo die mater eius induxerat in templum, ut ſiſteret eum domino, & facerent ſolemnia ſecundum legis conſuetudinem. Ecce (inquit) poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur. Quomodo autem ſignum eſſe potuiſſet, ſi aliud quàm crucis ſupplicium delegiſſet? Hoc etiam indicauit Eſaias propheta, dum inquit. Erit in die illa radix Ieſſe quæ erit in ſignum populorum: ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum eius glorioſum. Audiſti ſuperioribus diebus canentes ſacerdotes in hymno. Vexilla regis prodeunt. Quæ? nonne illa, ubi iſte eſt affixus? Et ne pudeat nos hæc ſigna præferre ſequentibus, Chriſti militibus: memento quòd ſupremo mundi die, quo Chriſtus in gloria maieſtatis ſuæ ueniet uniuerſum genus noſtrum iudicaturus, præferet id crucis ſignum, tanquam monumentum (ut dixi) uictoriæ. Nam ita ſcriptum eſt apud Matthæum. Et apparebit ſignum filii hominis in cœlo. Hæc nulla eſſent, ſi Chriſtus quodlibet aliud humi ſupplicium ſumpſiſſet. Nonne etiam Conſtantino in expeditionem contra hoſtes eunti dictum eſt de cœlo oſtenſa cruce: In hoc ſigno Conſtantine uinces? quaſi illi diceretur. Arripe Conſtantine hoc uictoriæ ſignum: nam in eo ſaluator mundi uicit hoſtes: & tu in eo quoque uinces. Conſtantinus igitur hanc uocem ſequutus, primus Romanorum Imperatorum crucem uexillis ſuis

impreſsit.& uictoriam de hoſtibus referens religionem noſtram antea ſuperiorũ uitio Imperatorum demerſam extulit,& ad ſummos dignitatum & honorum gradus euexit,& maxima ſequuta eſt multitudinis ad fidem conuerſio. E V S E B. Placet, quod de ſigno nunc dicis: nam ſigna attolluntur, ut eminus conſpiciantur. Et aſpicient (Eſaias inquit) in quem confixerunt. Si igitur Chriſtus in ſe conſpici uoluit,( ut æquum eſt) & ſupplicio redimendum erat humanum genus, id ſupplicii erat eligendum, quod altè ſublatũ glorioſam uictoriam oſtenderet,& à fidelibus procul conſpiceretur. Supplicium namque ſuum, quod pro uniuerſitatis bono patiebatur, antea infame, potuit efficere glorioſum, glorioſum dico? quinetiam deſiderabile. Multi nãque eadem cruce cõmori Chriſto cõcupiuerunt, quidam etiã in hac extenti perierunt, uel magnificentiſsimam potius ſalutem ſuſceperunt, quemadmodum de Petro & Andrea Apoſtolis nuper eſt dictum. Inſpicimus etiam in hoc ſigno (ut tu quoque ſignificaſti) ſpecioſam pulchritudinem propter eius longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profũditatem: ſupera petit & infera,& ad utrunque latus tendit brachia,& in terra iacens quatuor mundi partes reſpicit, facili etiam manus motu effingitur. Itaque non ſolum in ſacramentis & ſacrorum ordinum collationibus hoc ſignum adhibemus, ſed etiam frontem, & pectus quotidie munimus aduerſus antiqui hoſtis inſidias. Itaque his, quæ de hoc ſigno glorioſo dixti, ualde aſſentior. M A R. Quinetiam dicimus conſtitutionibus Chriſtianorum principũ ſancitum fuiſſe, ne quis amplius crucifigeretur ob reuerentiam huius ſigni: & quia rebus honorari putabatur, ſi eo genere mortis periiſſet, quod ſibi ipſi Chriſtus ſumpſiſſet. Cautum eſt etiam lege, ne quis ſignum Saluatoris in ſolo, uel ſilice, uel marmore humi poſitis inſculperet, uel pingeret. His namque uerbis utuntur religioſiſſimi Imperatores Theodoſius & Valentinus, qui hãc legem tulerunt noluerunt enim hoc ſacrum ſignum ſalutis noſtræ monumentum pedibus calcari: diem etiam feſtum celebramus, quo hoc venerabile ſignum inuentum eſt: & in multis Italiæ urbibus etiã templa cruci dicata uidemus. E V S. Et hæc quoque dicenda fuerunt. M A R. De hoc ſigno quanta ſit eius uirtus, quantaque in ueneratione ſit apud omnes poſt Chriſti paſſionem Deo ita diſponente, qui uoluit contra naturam rebus inditã & omnem conſuetudinem pœnam in honorem adducere, latius diſſeruit Ioannes Chryſoſtomus aureo illo ſuo ore in ſermone quodam populari, quo oſtendit Chriſtum eſſe Deũ. Sed tu fortaſſe putabis hoc eſſe extra curriculum diſputationis propoſitæ. E V S. Minime uero. Imo nullo magis die id dici conuenit, quàm hodierno, quo crux ob tractum ſacri illius corporis cœpit eſſe in pretio. Et (ſi ita loqui licet) hoc poteſt dici eius natale, quo ad honorem & reuerentiam dico. Itaque libenter audiuerim, quæ ille tantus doctor hac in re diſſeruit magnificentiſsimè. Sed melius eſt ea legere, quandoquidem liber ad manum, nunc nobis leget hic Marianus. Accipe librum,& lege, quæ hoc loco profert. Le-

ctio. Siſte parumper. Vides, ut dicat crucem, quod olim maledictum & abominabile erat ſupplicium, cuius mentionem omnes horrebant, huius nunc figurã cũctos ſummo ſtudio & quærere, & ea ſe ſignare in fronte, quaſi in columna quadam nobiliſsima, inueniri penes principes, ſubditos: uiros, mulieres: uirgines, nuptas: liberos, ſeruos: deſcribi, effingi, depingi, & celebrari undique uoce, litteris, manu, in domibus, in foro, in ſolitudine, in uiis, in montibus, in campis, in nauigiis, in inſulis, in lectis, in ueſtibus, in armis, in numiſmatis, in thalamis, in uaſis argenteis, & aureis, in corporibus brutis male affectis, in corporibus humanis à Dæmone obſeſſis. Magna denique huius ſigni gratia: nemo confunditur, nemo erubeſcit cogitans hoc maledictæ mortis eſſe ſignaculum: imò eo magis omnes ſe putant decorari, quàm ſi gemmis, magaritiſque ornentur. Perge porrò Mariane. Mitto reliqua, quæ lecta nunc ſunt: Sed nonne perſpicis Euſebi, quæ Chryſoſtomus hic loquitur, fieri etiam hodie? Quis enim vel particulam quandam ligni eius, in quo Chriſtus fixus fuit, poſſidens auro non includat? Quis uidens non ueneratur? Quis non maximum donum, ſi habeat, non exiſtimat conſequutum? Denique in crucis laudibus exardeſcit Chryſoſtomus, maximum illud, quod plagam uocat Demonum, chamum contrariarum uirtutum, humani generis munimem, & quod omnibus ueteris legis ſignis & miraculis anteponit EVS. Audiui equidem hæc omnia. Quid quæris? Viſus eſt mihi magnum feruorem erga crucem oſtendere. MAR. Ille etiam cathenam, qua Paulus pro Chriſto vinctus eſt, regiis omnibus opibus alibi anteponit. Quid de cruce faciendum fuit, quo uſus eſt Chriſtus inſtrumento ad uniuerſam noſtram ſalutem? Summa autem concluſionis Chryſoſtomi hæc eſt, Chriſtum pro Deo habendum, & ex multis aliis tum quòd potuit efficere, ut eius crux, quæ olim horrori erat omnibus, nunc conuerſa ratione poſt quàm ipſe eam corpore ſuo excepiſſet, honori eſſet, & venerationi. Summæ enim poteſtatis indicium pœnæ ſuæ ſimulacrũ in tantũ honorem euehere, nec euehere modo in honorem, ſed etiam in terrorem, hoc enim ſignũ uel ipſis Dæmonibus tremendũ, ut etiã Chryſoſtomus indicat: Quoties ſancti patres nequã has poteſtates & principatus, qui variis ſuſceptis formis, variis artibus illudere eis nitebantur, dum uel ab aliquo ſancto opere reuocare, uel ad illicitum aliquod protrahere vellent, edito ſanctiſsimæ crucis ſigno auerterunt, fugarunt, pepulerunt? Quoties de humanis corporibus per eiuſdem ſigni impreſsionem exterminarunt? Seu (ut credi par eſt) Chriſtus huic ſigno uim quandam indiderit, quæ nequitiam eorum proſternit, nec longius ire patitur: ſeu quia illi huius ſigni cõſpectum ferre nequeant, in quo extentus Chriſtus priſtino eos imperio denudauit. Hæc perſpicua ſunt his, qui ſanctorum patrum uitam, & geſta perlegere curarunt, & Chriſtianorum litteris intendere uoluerunt. Non enim ſermo hæc uanus docuit, ſed efficax experientia demõſtrauit. Illud quidem ridiculum eſt, quod magus quidam Iuliano Imperatori reſpondit. Is enim quum à

Chriſti

Chriſti fide deſciuiſſet, & idolorum cultui ſe totum dicaſſet, magicis etiam artibus uteretur, ſequutus eſt aliquando Magum in ſpeluncam quandam, ubi quum Iulianus Dæmonum aſpectum & fremitum perhorreſceret, & cruce ſe ſignaſſet, illi repente in fugam ſe dederunt, & quum Iulianus diceret uideri magnam eſſe in cruce potentiam: reſpondiſſe Iuliano fertur id ſupplicii genus tam atrox eſſe & horribile, quòd Dæmones etiam perterrefaceret. Sic Iulianus eluſus eſt, non tam uera, quàm feſtiua reſponſione: nec tamen ille poſt tale experimentum deſtitit Chriſtianos odiſſe, edictis uexare, minitari, ſi à bello Perſico reuertiſſet. Simile eſt, quod ſcribit beatus Gregorius de Iudæo quodam, qui quum in deſertis locis ſomnum capere uellet, crucis ſigno ſe muniuit: quo effectum eſt, ut ſuperuenientes poſtmodum Dæmones uexare ipſum cupientes ſigno crucis repellerentur: audiuit enim eos dicere ſe in uas incidiſſe uacuum ſignatum. Prodeſt ergo ſignum crucis etiam infidelibus aduerſus teiram Dæmonum poteſtatem, non his tantum, qui Chriſtiana ſacramenta uenerantur. Eſt etiam in crucis laudibus, quòd (ut dictum eſt) facile manu pingitur. Itaque ueteres olim patres nihil aggrediebantur, ſiue paruum eſſet illud, ſiue magnum, niſi hoc uenerabili ſigno crucis præmiſſo: magnæ etiam erat eis oblectationi, quòd multa imaginem crucis redderent, quæ illis reducerent memoriam dominicæ crucis, & tam magni beneficii accepti. Quæ nam hæc? multa ſunt, quorum nunc ſuggeram quædam. Aues quando uolatum carpunt, extenſis alis crucem imitantur, homo natans per aquas eandem nobis exhibet figuram: nauigiorum mala, cum antemnis eandem præ ſe ferunt imaginem. Quid gladii noſtri, quibus ſuccincti ambulamus, nonnè hoc eodem ſigno in capuli calce armantur? In Græca lingua, quæ præeminet omnibus, littera thau cruce effingitur. Et de crucis quidem laudibus hæc dicta ſint, poſt quàm, ut tu dicis, & mihi uidetur, non alius huic rei dies magis accommodus. Vnde hodiè in templis illud canitur. Dulce lignum dulces clauos dulcia ferens pondera. Multa ulterius facta ſunt in ueteri lege per lignum: nam per arcam Noe, quæ ex lignis proculdubio contexta fuit, ſaluatur è diluuio humanum genus. Moiſes uirgam in ſerpentem uertit, quæ alios magorum ſerpentes deuorauit, uirga mare rubrum diuiſit, ut eſſet populo iter ad ulteriora litiora: aquas in eremo è petra hac eadem uirga eduxit. Illic etiam aquas amaras ligno intus proiecto dulces reddidit: ſerpens æneus in ligno erectus percuſſos ſerpentis morſu conſpectus leuauit. Virga Aaron, quæ prius fuerat arida, repentè flores protulit, & fructum. Arca uerò fœderis qua dignitate fuit, qua ueneratione? Quot per eam Deus mira edidit? Hac in Iordane ſtante fluminis aquæ ſuperiores ſe ipſas à curſu cohibuerunt, & Iſraelitico po-

populo ſiccum iter in terram Cananæorum præbuerunt: Hac ſepties circun ducta Hierocuntis mœnia ciciderunt. Hæc à Philiſtæis capta Dagon idolũ eorũ, cui proxima ſtabat, proſtrauit, eoſque uariis cladibus afflixit, donec Iſraëli reſtitueretur: huius interiora, quum perſpicere auſi eſſent Bethamitæ, magna plaga percuſſi ſunt, hanc plauſtro impoſitam, ut Hieroſolymã reduceretur, quum Oza manu tenuiſſet, ueritus ne laberetur, temeritatis ſuæ ſubita morte pœnas dedit. Et de arca quidem illa lignea hæc dicta ſint. Nec prætereo lignum illud, quod Eliſeus, quum poſuiſſet in Iordanis fluento, ferrum ſecuris, quod fuerat demerſum, ad illud enatauit. Hæc & alia miranda, quæ temporibus antiquæ legis Deus in ligno operatus eſt. Crux dignitate, gratia, fructu, potentia ſuperauit, ſiue quia illa omnia huius tam pretioſi ligni imago fuerunt, & imaginem ueritati concedere oportet, ſeu quia hæc extrema abſolutiora uoluit eſſe Deus, quæ per eius unigenitũ gerebãtur. Hoc eſt illud lignum per prophetam pronunciatum, quod plantatum ſecus decurſus aquarum fructum dabit in tempore ſuo, & folium eius nũquam efflu et, ideò plantatum ſecus decurſus aquarum, quia cruci ſalutare baptiſmi flumen iungitur. Hoc in ligno, ut idem ait propheta, regnum ſuum Deus collocauit: hoc charitatis ſuæ erga nos: hoc ſummæ patientiæ & humilitatis puriſſimum uoluit eſſe ſpeculum: hoc iubet nos amplexari, ut perpetuum uniuerſæ ſalutis humanæ monumentum. Hoc crucis lignũ ſuſpicit, admiratur, ueneratur eccleſia. Audire potuiſti ſuperioribus diebus canentem ſacerdotum chorum.

*Crux fidelis inter omnes, Arbor una nobilis,*
*Nulla ſylua talem profert, Fronde, flore, germine.*

Et rurſus de eadem cruce in alio hymno.

*Beata cuius brachijs Secli pependit pretium,*
*Electa digno ſtipite, Tam ſancta membra tangere.*

Plerique adeò progreſsi ſunt, ut dicerent crucem eo cultu adorandam, qui uni ſummo Deo debetur, quoniam conuerſo ad crucem carmine in eiſdem hymnis canitur.

*O crux aue ſpes unica Hoc paſsionis tempore,*
*Auge pijs iuſtitiam: Reisq́ dona ueniam.*

Hoc qualiter ſe habeat, uideamus Theologos, qui edoceant. Alta eſt enim quæſtio: Nos humiles ſumus, nec à nobiſmet ipſis tam ſublimia aggredi, aut etiam intelligere ualemus. Memini Picum Mirandulanum de hoc latè diſputare in apologetico dum concluſionem eius publicè ſuper hac re editam nõnulli patres ut minus catholicam adnotaſſent. Illic licet cernere, quæ pro ſe afferat, & quæ in aduerſarios torqueat. Hæc quæ memorata ſunt hactenus, aperta ſunt: habeo autem aliam cauſam magis reconditam, propter quã unigenitus Dei filius deliberans (ut ſic dicam) de ſupplicio ad crucem potiſſimum reſpexit, & ea perfrui uoluit. E V S. An illam dicis cauſam, quam in præfa-

præfationibus Chriſtiani ſacrificii canit eccleſia? quod in crucis ligno humani generis conſtituerit ſalutem: ut unde mors oriebatur, inde uita reſurgeret & qui in ligno uincebat, in ligno quoque uinceretur. M A R. Iſtam ipſam dico. Iam dictum eſt unigenitum Dei filium carne hominis aſſumpta huc deſcendiſſe, ut originis peccatū penitus aboleret. Detinebamur homines à Diabolo captiui peccato primi parentis, ueluti prælio ſuperati: nemo noſtrum ad cœlum aſpirare poterat, quoſcunque etiam iuſtos & pios Diabolus ad inferos deducebat finita uitæ huius militia. Noluit Deus ſuperare potentia, ſicut æquiſſimè poterat, ſed iuſtitia: ſupplicio opus erat ad abolendum peccatum illud, ſed eius hominis ſupplicio, qui tantum placeret Deo ex obedientia, quantum diſplicuerat primus homo ex ſuperbia: Id autem ſupplicium delectum eſt, per quod conuenienter peccatum tolli uideretur: adeò placuit Deo quoque in re decens quoddam & aptum ſeruari. Itaque decretum emanauit, ut cruce peccatum deleretur. Quid ita? ut qui in ligno uincebat in ligno quoque uinceretur. Hanc ſupplicii conuenientiam, quæ ſeruata eſt in delendo peccato, optimè (ut mihi uidetur) expreſsit Andreas Apoſtolus, qui productus coram Egea Achaiæ proconſule, & iuſſus idolis ſacrificare, id non modo recuſaret, ſed crucis etiam myſterium prædicaret, dixiſſetq; Egeas non eſſe illud myſterium, ſed ſupplicium. Tunc Apoſtolus ſic inſtituit dicere: Primus homo per lignum præuaricationis mortem induxit, & neceſſarium hoc erat generi humano, vt per lignum paſſionis mors, quæ ingreſſa fuerat, pelleretur. Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat, neceſſario de immaculata uirgine natus eſt perfectus homo, in quo Dei filius, qui primum fecerat hominem, uitam æternam, quam perdiderant per Adam, hominibus repararet, ac per lignum crucis lignum concupiſcentiæ excluderet, expanderet in cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extenſis, pro ſua ui cibo arboris uetitæ eſcam fellis acciperet, & in ſe ſuſcipiens mortalitatem noſtram ſuam nobis immortalitatem offerret. Hæc ab Andrea habemus. Illud etiam animaduerſum à patribus, quòd qua hora Adam uetitum ſumpſit cibum (ea fuit ſexta) eadem Chriſtus crucem conſcendit, ex qua hora Adam de paradiſo eiectus eſt (ea fuit nona) eadem Chriſtus morte ſua paradiſum aperuit. Hoc quoq; quadrat, quòd ſexta feria homo ab initio mundi à Deo factus eſt: hac eadem ſexta feria, quū concidiſſet, ab eodem Deo refectus eſt, & ſicut nudus Adam homines perdidit, ſic nudus Chriſtus ſeruauit. Hoc quoque obſeruatum fuit, quòd ordine Chriſtus in hortu captus fuit, ſi reſpexerimus ad Adam, qui ſimiliter in horto, quem Græci paradiſum uocant, peccauit, ut inde inciperet ſatisfactio, vnde incepit rebellio: hoc eſt contra illud, quod Adam tūc geſſit. Ille libertate ſua captiuos nos effecit, Chriſtus captiuitate ſua liberos reddidit. Sicut etiam Adam tradidit nos Diabolo in captiuitatem gratis non accepto diuinitatis præmio, quod ſpectabat. ſic Chri-

ſtus gratis nos redemit nullo beneficio à nobis accepto: in quod conuenit illud Eſaiæ. Gratis uenundati eſtis, ſine argento redimemini. Sine argento inquit, noluit dicere propheta gratis redimemini, ſed ſine argento: nam, (ut ait beatus Petrus) Non corruptibilibus auro & argento redempti ſumus, ſed ſanguine agni immaculati: quanquam, ſi dixiſſet ſine pretio, intelligitur noſtro. Ipſe enim Deus pretium erat pro nobis perſoluturus. Auguſtinus in libris de doctrina Chriſtiana curationem huius morbi factam eſſe per contraria & ſimilia cenſet more cæterorum, qui utroque modo curare ſolent. Per contraria, quia ſuperbia (ut dictum eſt) humilitate ſublata eſt: & quoniam corrupto animo fœminæ ingreſſus eſt morbus, factum eſſe è contrario, ut integro corpore fœminæ procederet ſalus. Iam uerò illa ſimilia, quod per fœminam deceptos ex fœmina natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberauit. Nec mirandum eſt diſſimilia Adam & Chriſtum geſſiſſe, & tam longè diſtantia, quàm diſtant inter ſe exitium & ſalus, quoniam (ut utar hac in re Apoſtoli ſententia) primus homo de terra terrenus: ſecundus de cœlo cœleſtis. Vterque in euangelio filius Dei nũcupatur: De Chriſto nõ dubitatur: de Adam legitur penes Lucam in genealogia. Adam, ideò filius Dei quia factus à Deo de limo in animam uiuentem: Chriſtus, quia uera eſt imago & figura diuinæ ſubſtantiæ, ex qua parte Deus eſt: ſed per terrenum Dei filium inducta pernicies, per cœleſtem liberatio. Sequutus eſt igitur in redemptione humani generis hanc pulchritudinem quoque Deus, ut paria eſſent pleraque & contraria: nec exiſtimo tibi aliud uideri. E V S. Rectè: Nã in memoriam redeo tale etiam quid inter gentes actum fuiſſe, ſequens Seruium grãmaticum, quo tu pluriinum uteris. Victimæ (inquit) numinibus, aut per ſimilitudinem, aut per contrarietatem immolabantur. Per ſimilitudinem: ut nigrum pecus Plutoni: equus Soli propter celeritatem. Per contrarietatem: ut porca, quia obeſt frugibus, Cereri: & caper, quia obeſt uitibus, Libero: Capra Aeſculapio ſalutis Deo, quum ea nunquam febre careat: & ut eſt penes Ouidium.

*Nocte Deæ noctis criſtatus cæditur ales,*
*Quòd tepidum uigili prouocat ore diem.*

Et apud Virgilium legimus Aeneam illum ſuum immolare

*Nigram Hiemi pecudem, zephyris fœlicibus albam.*

Ergo ſi hi, qui erant è gentibus, ſimilitudinem & cõtrarietatem in ſacrificiis, quæ inſtituebantur ad eorum placanda numina, ſequebantur: Quid mirum eſt in uero humanæ ſalutis negotio ſimilia & contraria ad decorem quæſita fuiſſe? M A R. Quid? ſi dixero per contemptiſsimam, & ignobiliſsimam crucem uoluiſſe Deum tumidam ſeculi arrogantiam cõtundere, & inanem perdere ſapientiam: num tibi aliquid dicere uidebor? Cruce nihil contemptius: nihil ignominioſius: Aſpicis tamen cruci huic omnia ceſſiſſe, nihil reſtitiſſe: non doctrinã acutorũ hominum, non eloquentiam diſertorũ, non potentiam

imperioſorum. Equidem habeo ſententiæ huius authorem, & quidem ualdè idoneũ Apoſtolum Paulũ: is ad Corinthios ſcribens: ſed melius fuerit uerba eius audire, quæ & ſi ruditer compoſita uideantur, ſenſuum tamen præſtant altitudine. Quid ergo is ait? Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt: iis autem, qui ſalui fiunt id eſt nobis Dei uirtus eſt: Scriptum eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum. Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam, quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos quidem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, Græcis autem ſtultitiam? Ipſis autem uocatis Iudæis & Græcis Chriſtum Dei uirtutem, & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Rurſus paulo poſt idem repetens: Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus: ut confundat ſapientes: & infima mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut quæ ſunt deſtruat: ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius: ſed qui gloriatur, in domino glorietur. Vides: quæ loquitur Apoſtolus ſummus ille gentium doctor. Quærimus, cur crucem elegerit Deus? Reſpondet infima, ignobilia, infirma, ſtulta elegiſſe Deum, ut confundat contraria, quod etiam exitus oſtendit: nã crux prædicata per paucos indoctos, ignobiles, egenos homines, diuitias, doctrinam, nobilitatem, potentiam, copias ſuperauit: crux ipſa, quæ antea fuerat pœnæ loco, nunc ſummo in precio habetur: non eſt nunc horror ſed honor Magnum non eſt diuitias honorari, potentiam coli, doctrinam amari: ſed magnum fuit, ac diuinum planè opus hæc omnia pœnæ, ſupplicioque tribuiſſe. dicebant olim, qui erant è gentibus Chriſti fidelibus. Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum? Reſpondebant illi ex Apoſtoli ſententia Vos ſcilicet ſapientes, nos ſtulti, ſed malumus nos eſſe ſtulti cũ Deo, quàm uobiſcum ſapientes. Verè autem non eſt ſtultitia ſequi crucem, atque etiam ubi expedit ſuſcipere: ſed his, uidetur, qui ſuperbè ſapiunt, ſenſuũ iudicium ſequuntur, Sed quid ait Apoſtolus? Prudentia carnis inimica eſt Deo: caro prudens eſſe uult, cuius opus erat ſubiicere ſe rationi. Eius enim proprium eſt prudentia. Chriſtus in cruce pendens ſtultitiæ fert imaginem. Quid enim tam ſtultum, quàm quum poſſet una uoce aduerſarios omnes proſternere, ut nos dicimus, uoluerit ſe teneri, flagellari, conſpui, colaphizari, ſpinis coronari, ligno crucis affigi? ſtultum uidetur: ſed hoc ſtultum Dei omnem ſuperat humanam ſapientiam: nam perindè accidit, ac ſi imperiti quidam agricolationis uideant agricolam frumentũ in terram proiicientem ſationis cauſa, & ſtultum putent, quòd frumentum eo loci condat, ubi corrumpatur. At agricola ſapienter ſe facere exiſtimat reſpiciens ad tempus meſſis, quo manipulos colligens multiplicatum recipiet frumentum: non enim fugienda eſt corru-

ptio

tio,quæ multiplicium exiſtit cauſa bonorum.Pari ratione imperiti quidam ex gentibus aſpicientes Chriſtum crucifixum,exiſtimant ſe neſcio quid ſtultum uidere,quod illic corruptus appareat.Sed fideles exiſtimant ſummam eſſe ſapientiam, quæ ſtultitia aliis uidetur: propterea quòd corruptio illa in lætiorem reſurgens ſtatum peperit multiplicem populorum credentiũ fructum ſummamque ſalutem, Quæ eſt( dicebant ) potentia eius, qui fuit crucifixus?oſtendit Chriſtus potentiam ſuam, & antea,dum miracula faceret,& tempore huius paſſionis,dum ſolo uerbo proſtrauit armatos, qui ad eum comprehendendum uenerant:& abſciſſæ auriculæ uulnus ſanauit. Sed in cruce,in qua ipſe quæſiuit patientiæ exemplum.quærere potentiæ documentum nimis ridiculum uidetur, & ſimul illud conſiderandum erat maioris eſſe potentiæ mortuum de ſepulcro reſurgere,quàm omnino mortem crucis non excepiſſe:non igitur in cruce pendens potentiam depoſuit, ſed maioris potentiæ indicio ſe ipſum reſeruauit.Quum Turcæ non multùm ſuper hanc ætatem Conſtãtinopolim armis cepiſſent, & illud alterum Chriſtiani imperii lumen effodiſſent, arreptas à templis crucifixi imagines, quas nos in memoriam redemptionis noſtræ illic habere,& uenerari ſolemus, circumferebant, & multis ſequentibus clamabant cum ſumma irriſione.Hic eſt Deus Chriſtianorum,ſic abſurdum illis uiſum eſt,quòd Deum coleremus crucifixum ignorantes Dei ſapientiam,quæ per mundi ſtultitiam ſaluos facere uoluit credentes.

# MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PASSIONE DOMINI LIBER QVINTVS.

### EVSEBIVS.

SATIS dictum exiſtimo,quare Deus crucem magis delegerit, quàm aliud ſupplicii genus, quatenus tamen humana progredi coniectura poteſt ſine præiudicio meliorum forſitan cauſarum, quæ in diuino latent pectore, uel melioribus & ſanctioribus uiris panduntur.Nunc ſi tibi uidetur, dicenda quædam de Iuda cenſeo & Pilato: quibus Dominica adſcribi poteſt paſſio:nam unus Chriſtum prodidit,alter damnauit. MAR. Quid me de his duobus dicire uis? Nota ſunt ex euangelio omnia. Veruntamen,ut de his etiam dicamus,& inter nos commentemur,incipiemus à Iuda qui Chriſto aſſidens non fuit miniſter, ſed fur: non imitator, ſed inſidiator: non Apoſtolus,ſed Diabolus?Sic enim eum Chriſtus uocat illo ſermone.Nũ uos duodecim elegi,& unus ex uobis Diabolus eſt?Ab hoc orta eſt proditio,

& initium paſſioni factum. Is itaque Iudas in Apoſtolum receptus loculos habebat, & ea, quæ mittebantur, portabat, ut inquit in euangelio Ioannes: nec malè quòd portabat, ſed quòd intus miſſa in ſuos uſus exportabat. Indignatio autem eius in Chriſtum cœpit in domo Simonis leproſi unguento pretioſo in caput Chriſti recumbentis effuſo: clamare rem indignam factam fuiſſe, potuiſſe unguentum illud uenundari trecentis denariis, & dari pauperibus. Et tantum ualuit illius uox, ut cæteros traheret diſcipulos in eandem indignationem: & moleſti eſſent mulieri, quæ effudiſſet, donec uoce Chriſti correpti quieuerunt. Nota ſunt deinceps reliqua, ut acceſſerit ad principes ſacerdotum, & pacti ſunt dare triginta argenteos, ut illis Ieſum proderet. Aſpicis ex hoc facto illud primum iniuſtam fuiſſe diſcipulorum iram aduerſus mulierem, quæ fracto alabaſtro vnguẽtum effuderat: Chriſto enim ſubuenit, qui afflictus uidebatur, ſiue memoria imminentis paſſionis, ſiue de itinerum fatigatione, ſiue de utroque id pateretur: Certè corripiens diſcipulos boni ei operis præbet teſtimonium, neque id obſcurè. Bonum enim (inquit) opus operata eſt in me. Mira hic primum apparet Chriſti benignitas, qui non reſpondet Iudæ murmuris authori, poterat enim dicere. Noui te: nempe iſta propter tua furta dicis. Nihil huiuſmodi fecit, ac ne latenter quidem hominem tetigit: ſed miſſo illo conuerſus ad diſcipulos eos compreſsit boni etiam operis teſtimonio reddito mulieri, quæ ſibi afflicto illa unguenti effuſione opem tulerat, qua de re intelligi etiam datur omnia pretioſa hominum cauſa condita eſſe, & parata, & frui his oportere, vbi neceſſitas, uel utilitas exegerit. Et hæc quidem interpretatio mihi iuſta uidetur. Quid alii? Chryſoſtomus exiſtimat, ſi Chriſtus prius fuiſſet interrogatus, num unguentum effundi uellet, prohibiturum fuiſſe, ſed poſt effuſum unguentum illa ad excuſationem mulieris protuliſſe, quæ ſine fraude illud fecerat. Auguſtinus putat effuſionem illam unguenti myſticum quid continere, quod elici poteſt ex verbis Chriſti, dum dicit mulierem præueniſſe, ut faceret tunc, quod faciendum fuerat in ſepultura. Quod enim in aliis perſonis flagitium eſt, in diuina uel prophetica perſona magnum cuiuſdam rei ſignum eſſe. Illud etiam animaduerſione dignum, quòd, dum Chriſtus ſubintulit, quòd ubicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur, quòd hæc fecit in memoriam eius: hoc loco perſonam ſuſcipit prophetæ præuidens euangelium toto orbe diſſeminatum iri: Fracto inquit alabaſtro: eſt enim alabaſtrum genus marmoris candidi, quod in uaſa excauatum conſeruãdis unguentis eſt aptiſsimum. Marcus autem unguenti nomen ponit uocans nardum ſpicatum. Eſt nardus frutex, ex cuius radice & ſpicis conficitur unguentum: ſed pretioſius, quod ex ſpicis fit: ideò ſpicatum uocat. Naſcitur id fruticis genus uariis in locis, palma datur Syriaco. Nardus (inquit Plinius) principatum obtinet in uirgultis, laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum. De eius uirtutibus in compoſitionibus medicamentorum, audies plura à medicis. Illud

quod ad hunc locum pertinet,non omitto conſueuiſſe tunc homines nardũ in delitiarum uſum habere: nam ea perfundebant capillos & caput,maximè in conuiuiis. Indicat illud Horatianum in lyricis. *Et roſa Canos coronati capillos Dum licet, Aſſyriaq; nardo Potamus uncti.* Et Tibullus elegiarum ſcriptor, *Illius pura diſtillent tempora nardo.* Chriſtus autem ſuſcepit à muliere non ob uoluptatem, ſed auxilii gratia, & ( ut ipſe inquit )ad boni operis conſumationem.Nihil enim reficere æquè uires affirmat medicina,quàm odorem,qua in re uino etiam præfertur.Poterat hæc euãgelica mulier illud ſponſæ de Canticis dicere.Nardus mea dedit odorem ſuauitatis:Etenim ( ut ſcriptum eſt) tota domus completa eſt odore unguenti.Et hæc quidem non difficilem admodum habent intelligentiam.Illud ſubobſcurum: Cur Chriſtus tulerit Iudam ſciens furem loculorum:hinc enim proditionis cepit conſilium,quod non potuit unguenti pretium, quod tercentorum denariorum eſſe uidebatur,in loculos dimittere,& inde furari.Argutè autem coniectantur quidam ſolitum eum decimam auertere eorum,quæ eleemoſynarũ gratia in loculos mittebantur, hãc enim habuiſſe illum, & ſubduxiſſe rationem: Si ex unguenti uenditione tercentos recepiſſet denarios,decimam eum tuliſſe,quæ de tercentis dempta triginta fit denariorum , quum ergo indignaretur , hos triginta denarios ſibi Chriſtum abſtuliſſe ex unguenti in eius caput effuſione, ipſum Chriſtum triginta denariis uoluit uendere , ne quid ſibi deperiret,uel amitteret. E V S. Ridiculam mihi narras computationem, quoniam unguentum in Chriſtum effuſum non potui uendere,ipſum Chriſtum uendam,& totidem denariis, quot lucratus ex unguenti uenditione fuiſſem:non eſt enim æquum me aliquid deperdere,hanc ſanè computationem ſine tabulis facere potuit,quæ tam ridicula eſt.M A R. Ridicula omnino computatio,ſed non eſt mirum ob auaritiam illum in huiuſmodi cõputationem incidiſſe.Ridiculæ enim,ne dicam turpes,auaritiæ cogitationes ſũt. Sunt,qui exiſtiment Iudam cogitaſſe Chriſtum deſerere,quem tum corpore non animo ſequebatur,ſed non antea,quàm de loculorum rapinis peculium quoddam ſibi conflaſſet:unguenti deinde effuſione indignatũ pro unguento,quod uendere non poterat,ipſum Chriſtum uendidiſſe,ut ſe ulciſceretur, quòd ei prædandi occaſionem ſuſtuliſſet,non ſecus ac ſi de eius manibus pecuniam ſibi abſtuliſſet:quæ ſententia ferè in idem cum ſuperiore recidit.Graue quidem exiſtimari debet hoc furtum Iudæ:malum enim eſt furtum , ſed peius redditur ex his,quæ circunſtant:nam homo iſte (ſi tamen homo)pecunias ſancto uiro in uſum pauperum oblatas expilabat:hoc furti finem excedens euaſit in ſacrilegium.Addit ſceleri pondus,quòd nõ in iniquorum ſed ſanctorum uirorũ ſocietatem receptus,non ſub latronum principe , ſed ſub optimo magiſtro conſtitutus non abſtinuerit à furtis,nec ad meliora ſe conuerterit,hæc difficiliorem Iudæ cauſam reddũt,vt grauius peccaſſe uideatur, & hoc quidem facilem,& expeditam habet rationem.Illud magis mirũ , uel

ſub-

ſubobſcurũ potius( ut dixi) quare Chriſtus ſciens Iudam furem loculorum, hunc tolerauerit. Forſitan quia Chriſtus nunquam ab eo accepti & expenſi rationem exegit, quod nonnulli procuratoribus ſuis concedunt, ut à rationibus ſint immunes. Si quid autem de homine ſciebat, diſsimulauit ſe ſcire more ſuo diuino uſus, non ſtatim arguens & ad pœnam uocans, ſed expectans & pœnitentiæ relinquens locum: quòd ſi remota diuinitate nihil ſibi ut homini compertum erat, in hoc delinqueret, indecens putauit eum palam corripere, & infamẽ reddere: tacuit igitur, nec aperuit, qualis eſſet, ſed homini pepercit. Venit tempus, quo proditionem cogitabat: multis tunc Iudam Christus modis à ſcelere reuocare, & retinere ſibi ipſi conatus eſt, timore ſcilicet, minis, beneficio, honore. Timore dixi, quia oſtendit ſe ſcire, qui eum traditurus eſſet. Timere autem iuſtè poterat Iudas, ne fieret manifeſtus. Minas etiã adhibuit: dixit enim. Bonum erat, ſi natus non fuiſſet homo ille. Forſitan beneficio & honore flecti poterit, ut nequitiam deponat, & fiat melior, ne hoc quidem prætermiſſum: nam & pedes eius lauit: & ſacræ menſæ communione dignatus eſt. ſed nihil profuit: obdurauit cor diabolo introrſus recepto. Illud nunc quæſo mecum euolue: nam ex his, quæ nuper dixi, huc uenio. Mirum uidetur, quòd dominus permiſerit loculos Iudæ quem furem ſciebat. Quid? Nonne hæc quotidie facit? Hodie( inquam) facere illum uidebimus, ſi aſpexerimus nonnullos, quibus eccleſiarum bona commiſſa ſunt, hæc Chriſto & pauperibus oblata in ſuos vſus imò & delitias vertere, & tamen ſilet, nec tamen ſemper ſilebit. At non eccleſiaſticorum modo, ſed etiam in populis tolerat magnam impiorum multitudinem inter pios degentium. Quid ita? vt oſtendat diuitias longanimitatis ſuæ: expectat, ſuſtinet ſe, moratur, ſi forſitan illorum quiſpiam qualibet occaſione conuertatur, in ſinum confugiat paternum, præterita ignoſci petat, & meliora in poſterum polliceatur: non ſtatim ſimulac offenſus eſt irruit, percutit peccatorem: ſed vix eo progreditur, & cunctatur muſſitanti ſimilis: & tam diu diſsimulat, quàm exiſtimat immenſæ bonitati ſuæ & ſapientiæ conuenire, & res ipſa depoſcere videtur. Ego hac in re nihil habeo, quod afferam melius: ſi quid autem tu habes aliud, affer. E V S E B. Perge porro ad reliqua de Iuda, ſi quæ reſtant. M A R C. Vendidit ergo Chriſtum, ſicuti pactus fuerat accepto argento: tantum penes illum triginta denarii potuerunt: pactus grande nephas parua mercede, vt neſcio quis poeta cecinit. Et augetur ſcelus, quòd non tentatus à Iudæis antea, aut perſuaſus ſceleratum cepit conſilium, ſed ſpontè ad eos profectus eſt, & pretium in ementium poſuit poteſtate, tanquam vile quid venderet. Quid vultis( inquit) mihi dare, & ego eum vobis tradam? & quum conſtituiſſent illi triginta argenteos, exinde quærebat oportunitatem, vt traderet eũ ſine turbis, id eſt, quando populus circa eũ non eſſet, ſed eſſet ipſe ſecreto in loco cũ diſcipulis tantummodo & illi metuebant populũ: dixerant enim in concilio: Nõ in die

feſto

feſto, ne forte tumultus fiat in populo. Ergo hoc obſeruabat Iudas, & viſum eſt opportunum tempus id agendi, quo poſt cœnam egreſſus ciuitatem Ieſus cōtenderet ad montem Oliueti, & eſſet in prædio Geth Semani, ubi frequenter cum diſcipulis conuenire conſueuerat. At uide, quàm ſcelerate, non ſatis habuit indicare locū, ubi Ieſus cum diſcipulis cōuenerat, ſed ducem ſe quodammodo præbuit militibus, qui fuerant cum gladiis & fuſtibus miſſi à principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi, deinde ſub oſculo pacis illum tradidit comprehendendum, & ligandum: parum ei uiſum eſt prodere dominum & magiſtrum, niſi etiam oſculo ſimulans amicitiam proderet, & quam ualde capturam eius affectaret, oſtendit: quód timens, ne alius caperetur, ipſe euaderet, oſculo, quis ille eſſet, demonſtraturum dixit, & oſculatus demonſtrauit, quod Chriſtum non latuit, qui eo tempore id ei patefecit. ô impudentiam ſingularem. ô nequitiam non ferendam. Quis enim niſi improbiſſimus ſigno pacis uſus eſt ad bellum? Quibus autem oculis potuit illum intueri, dum oſculum fere cogitaret? Quo ore etiam oſculari? Hoc eſt illud fraudulentum amici oſculum, quod Salomon in prouerbiis dixit eſſe peius, quàm inimici vulnus. Quanto autem deteſtabilius Iudæ ſcelus, tanto præſtantior Chriſti benignitas: qui non refugit proditoris oſculum, ſed excepit cum manſuetiſsimis etiam uerbis, Iuda (inquit) oſculo filium hominis tradis. & Amice ad quid ueniſti? Alius dixiſſet. ô ſceleſte ô perdite oſculo magiſtrum & dominum tuum tradis? quæ, ſi dicerentur, iure dicerentur: Ille nihil tale, ſed ſe ipſum & illum nominatim appellat: amicum etiam uocat, ut appareant hæc uerba magis eſſe miſerantis, quam indignantis. Hoc loco dignoſcitur, quantum in ſe mali contineat auaritia, cui nō ſatis eſt ſimpliciter peccare niſi etiam peccatis pondus & grauitatem adiiciat. Venditionem autem illam nephariam iam antea pronūciauit Zacharias, dum loquens ex perſona Dei inquit. Appretiauerunt mercedem meam triginta argenteos: proiice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Rurſus Amos propheta inquit. Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quarto non conuertam eum pro eo, quod vendiderunt argento iuſtum & pauperem pro calciamentis. E V S. Obſcurum valde id vaticinium. Itaque gratum feceris, ſi explicaris, quæ ſint illa tria ſcelera, quibus ignotum vult Deus negans ſuper quarto idem tributurum. Quæri etiam poteſt, quomodo id quartum ſcelus attribuatur Iſrael, quum Chriſti venditio ſit per Iudam facta Iudæis incolentibus Hieruſalem, qui de tribu Iuda eſſe dicuntur. M A R. Commoues dubitationes non iniquas, & ut exordiar ab hac ultima, utrū uenditio Chriſti ſit de ſceleribus Iſrael, quū facta fuerit Iudæis Hieroſolymā incolentibus, qui de tribu Iuda fuerunt. Scito hanc uenditionē ſceleribus Iſrael recte aſcribi, ſi tempus, quo id admiſſum eſt cogites. Nā ante mortuo Salomone tempore regis Roboam Iuda & Iſrael diſiūcta fuere, & diuerſos reges habuere, & hoc permāſit vſq; ad Babylonicā captiuitatem.

Poſt-

Poſtquam autem à Babylonica captiuitate ingreſſi ſunt, & inſtaurari alterũ templum cœpit: tunc Iudæi omnes ſociati ſunt, & vno nomine Iſrael vocari cœperunt, quod Eſdras oſtendit primo libro in calce ſecundi capitis, & rurſus initio libri tertii. Cyrus namque Perſarum rex, qui captiuitatem illam ſoluit, omnibus Iudæis redeundi poteſtatem fecit. Itaque quoties obiicietur hanc iuſti venditionem non eſſe inter ſcelera Iſrael; memento temporis, ne capiare. At quæ tria illa fuerunt, quæ remiſſa ſunt? rectè requiris. Dicam quod à maioribus noſtris hac de re traditum comperio. Primũ ponitur ſcelus, quum fratres triginta argenteis Ioſeph mercatoribus Aegyptiis uendiderũt, quæ fuit imago uenditionis huius, quæ de Chriſto facta eſt. Omnia enim (ut noſti) ueterum patrum geſta imaginem quandam præferebant eorum quæ aut facturus erat Chriſtus, aut paſſurus. Hoc pro ſcelere ducentum & decem annos Aegyptiis ſeruierunt: ſoluta eſt hæc ſeruitus, quum Moyſe & Ioſue ducibus tranſeuntes mare Rubrum in ſolitudinem cõceſſerunt, & poſt quadraginta annos in terram eorum pulſis incolis translati fuere. Alterum ſcelus, quum, quos ſibi effinxerant, uitulos aureos duos coluerunt cum illa uerborum impietate: Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui de terra Aegypti eduxerunt: ob quod ſcelus tradidit illos Deus in manus regis Aſſyriorum. Tertium ſcelus eſt, quum idolis non pecudes ſolum, & armenta, ſed proprios quoque filios immolarent: ob quod ſcelus Babylonicã captiuitatem annis ſeptuaginta experti ſunt. Ab utraque deinceps captiuitate primo per Cyrum deinde per Darium liberati ſunt, & in ſuas ſedes reſtituti facta templi ad prioris formã reædificatione. Omnia hæc ſcelera tria ingentia remiſſa fuerunt. Quartum nõ remittitur, quod in uenditione iuſti conſiſtit. Vide iam, quò res nos deducat, ut hæc prophetæ uerba neceſſariò de Chriſto intelligi debeant, quem iuſtum & pauperem appellat: utroque enim Chriſtus præſtitit iuſtitia & paupertate: hoc autem dicere volo: Si tria illa ſcelera dimiſſa ſunt, quæ ingentia fuerunt, & quibus nihil maius videtur excogitari poſſe, prophetarum ſcilicet cædes, & idolorum cultus: quartum autem hoc non dimittitur: neceſſe eſt hoc illis grauius fore: quam ergo maiorem mihi grauitatem dabis, niſi in perſonam eius, qui non ſolum homo, ſed etiam Deus eſſet, peccaſſe? Certè conſequentia rerum huc nos deducit, vt id dicamus. Audis ne? E V S. Audio. Sed quid eſt, quod propheta dicit pauperem pro calciamentis? Quid ſibi vult illud pro calciamentis? MA R. Dixit id propheta, quia ſuperius dixerat iuſti venditionem argento factam, & vt oſtenderet modico argento fuiſſe factam, ſubiecit pro calciamentis, veluti ſi diceret tanto argento, quanto vendi calciamenta ſolent; nihil enim vilius calciamentis: ideò pro re uili ea poſuit. E V S. Accipio hoc de calciamento, quod dicis. Sed aliud conturbat ſpiritũ meum, quòd prophetæ verba de venditione iuſti loquuntur: Iudæi autem nõ iuſtum vendiderunt, ſed emerunt. M A R. Et id te commouet? E V S. Ac valdè quidem, M A R. Fateris tamen, & ſi Iudæi non uendiderint, alio uenden-

te,

te emiſſe. E V S. Quid ni fatear, quod neceſſe eſt? M A R. Quid ergo te commouet? E V S. Hoc ipſum, quod dixi, quòd propheta loquitur de uendente, & non de emente. M A R. Caue ne poſt hac hoc, quod tam friuolum eſt, coram Iuriſconſulto quolibet adducas. E V S. Quid ita? M A R. Ne te irrideat, ſicut ego nunc te irridere poſſem. Conſtat enim inter Iuriſperitos, & ita in libris noſtris ſcriptum habemus, pœnam impoſitam lege uendenti comprehendere pariter ementem: tametſi emptor in lege nō ſit nominatus: hoc namq; dicimus naturam correlatiuorum præſtare: nō enim poteſt uenditio conſtare ſine emptore, nec poteſt aliquis iniuſtè uēdere, & alius iuſtè ad emptionem accedere: quamobrem ſi diuino eloquio peccatum uendentium iuſtum irremiſsibile eſt, nec ementium poterit remitti. Poſſum etiam aliter au&toritate ueterum hominum diluere obie&um: Nam (ut nō diſcedam ab eodem noſtro iure ciuili) ſcriptum eſt in tra&atu de a&ionibus empti & uenditi apud Caium antiquiſsimum Iuriſconſultū his uerbis. Veteres emptionum uenditionumq. appellationibus promiſcuè utebantur, idem eſt in locatione & condu&ione, quòd ſi hoc tenemus fuiſſe apud ueteros promiſcuā uenditionis & emptionis appellationem, nihil intereſt, utro horum uerborū uſus fuerit propheta. Quod ſi fortaſſe hæc parum commouent, ut fas eſſet, aliud ſpe&a: nam illud (ut opinor) concedes non omnes Iudæos pro uenditione Chriſti argentum dediſſe, & uenditioni acceſsiſſe: hoc crimen tātum pertinet ad principes ſacerdotum, & populi ſeniores: cum his a&a res eſt: illi pa&i ſunt, illi dederunt. Quomodo ergo hoc crimen ad uniuerſum populum tranſlatum eſt? niſi quod uenditionem illam Chriſti à diſcipulo fa&am approbarunt, ac ratam habuerunt? Neminem autem tam rudem eſſe arbitror, quin intelligat eum, qui crimen ab alio admiſſum approbat, adiuuat, & huic ſe admiſcet, in eadem eſſe cauſa, qua eum, qui principē operam in eo præſtitit: dicamus igitur uendidiſſe iuſtū Iudæos, propterea quòd uenditionem de illo fa&am approbarūt, & multa etiam de ſuo addiderūt: præſertim dum clamarent, ut crucifigeretur. Atqui oraculum prophetæ uerè impletum uidemus: non enim dici poteſt euentum uocibus prophetæ non reſpondere: imò ſi qua eſſet dubitatio, euentus rei declararet id ſenſiſſe prophetam, quod dicimus: nunquam enim peccatum illud remiſſum fuit, nec remittetur. et ut de Iuda primū dicam, qui uendidit. Is, quum uidiſſet damnatum ſacerdotum ore Chriſtum, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi dicens ſe peccaſſe in ſanguine iuſti traditione, & nō accipientibus illis proiecit in templo, & abiens laqueo ſe ſuſpendit, & crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia uiſcera eius. Nec hodie immunis eſt à pœnis apud inferos: nam di&um eſt Saluatoris ore. Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Sic Iudas è diſcipulo proditor fa&us propria ſe condemnās ſententia, propria manu de ſe ſumpſit ultionem, & cum pecunia pariter proiecit & uitam. An hoc illi uiſum conſentaneum uitam ſibi adimere,

quia peccauerat in uitæ authorem? Sed quis nō uidet hoc ſuſpendio in Chriſtum plus peccaſſe, quàm proditione? nam tunc prodidit eum, ut hominem hoſtibus ad ſupplicia: nunc diuinitatem eius arctauit, ſi credidit non habuiſſe indulgentiam ſceleri ſuo parem. Et hic quidem bonis initiis malos exitus habuit. Quid Iudæos uniuerſos? Nonne peccatum idem afflixit, perpetuā illis, & irreuocabilem contulit captiuitatem? Nam quadrageſimo poſt anno à morte Saluatoris Iudæa omnis expugnata Romanorum exercitu. Hieroſolyma magnificentiſsimum Regum olim domicilium, clariſsima vrbiū Orientis exciſa & ſolo æquata. Scribit Ioſephus, qui eius belli hiſtoriam diligenter Græcis literis complexus eſt, & rebus geſtis interfuit, decies centena hominū millia interiiſſe, & nonaginta ſeptem millia in captiuitatem abducta fuiſſe. Scribit autem pleroſque eorum indigenas non fuiſſe, ſed è gentibus ueniſſe. Ab omnibus enim regionibus ad diem azymorum congregati ſubito bello circunfuſi ſunt, ex quo factum eſt, ut peſtifera lues ex loci anguſtia naſceretur, & citius obreperet fames, quæ res præbet argumentū ob nefandiſsimam Chriſti necem tantam calamitatem irruiſſe: nam ciuitas iiſdem azymorum diebus obſideri cœpta, quibus Chriſtum in crucem egerunt. Ipſe autem Ioſephus refert publicè creditum ob necem Iacobi, qui uulgo iuſtus appellabatur, & frater erat Chriſti, Hieroſolymam euerſam fuiſſe, tanta ſanctitatis eius fuit opinio. Nos autem iuſtius tantam calamitatem ob Chriſti crucem dicimus obtigiſſe. Manifeſtum adeò fuit ob ingentia ſcelera irato Deo Iudæos tam uehementer affligi, ut hæc hoſtibus etiam paterent. Titum namq. filiū qui expugnationi Hieroſolymæ præfuerat, ferunt dicere ſolitum propter multa portenta, quæ uidebat, ita Deum Iudæis eſſe iratum, ut timeret, ne ſibi iraſceretur, ſi Iudæis ignoſceret, eundemq. aiunt aliquando circumeuntem, quum uidiſſet ingentem cadauerum multitudinem humi iacere, eorumq. tabo terram irrigari, gemitum edidiſſe, & ſublatis in cœlum manibus dixiſſe nō eſſe illud ſuum opus, ſed maioris alicuius poteſtatis. Hæc à Ioſepho ſunt. Philoſtratus in uita Apollonii Tyanei his utitur uerbis. Titus captis Hieroſolymis omnia circū loca cadaueribus cōpleuerat: finitimæ aūt gentes ob uictoriā eum coronare uoluerūt: ille uero tali honore ſe indignū eſſe reſpondit. Non enim ſe fuiſſe talium operum authorem, ſed Deorum iracundiam contra Iudæos demonſtranti manus ſuas præbuiſſe. Quid ergo dicemus? Nam ſi de omnium conſenſu ob ingentia eorum ſcelera iracundiā Dei prouocàuerunt, & ea de cauſa tam acriter afflicti fuerunt; Quod maius ſcelus, quàm Chriſti occiſio? Quæ iuſtior iræ Deo cauſa, quam unigeniti mors? Præſtiterunt Iudæi hoc uno crimine, ut quæcunque maiores eorum peccarunt, & in futurum poſteri eſſent peccaturi, parua uideantur. Hoc nos dicimus, nec aliter ipſi dicere poſſunt, coluerant antea idola, prophetas occiderant, nec tamen tantam unquam internitionem perpeſsi ſunt, neceſſe igitur ob id ſcelus id cōtigiſſe, quod ſuperius eſſet idolorum cultū, & prophetarū cæde,

id quale ſit,conſiderari nõ poteſt,niſi Deo ſub humana ſpecie in terris agenti uim intuliſſe,& ut latronem interfeciſſe. Nec uerò de iſtis pœnis iuſtè conqueri poſſunt. Ipſi enim quum Pilatus eripere Chriſtum conaretur de eorũ faucibus,clamauerunt: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: hæc uox perindè ualet,ac ſi dicerent: Si iniuſtè Chriſti ſanguinem effundimus, pati parati ſumus,quæ hoc ſcelere digna ſunt. Factum eſt,habent,quod petiuerunt: niſi quòd tametſi durißima paſsi ſunt, cum eis mitius eſt actum, quam quantum eorum cauſa poſtulabat. Viſi ſunt ſibi uiciſſe,quoniam eum interfecerũt,qui mortuos ſuſcitarat,ſed hæc uictoria magnò illis ſtetit. Quũ uidiſſent Chriſtum magna ſigna & prodigia facientem,dixerunt in concilio. Si dimiſerimus eum ſic, omnes credent in eum: uenient Romani, & tollent nobis locum,& gentem: imò uerò,quia non dimiſerunt eum,& interfecerũt, uenerunt Romani,& locum eorum & gentem abſtulerunt: Veſpaſianus Imperator,qui eos proſtrauit,mãdauit procuratoribus ſuis,ut Iudæam omnem uenderent,& Iudæis ubique exiſtentibus per ſingula capita impoſuit tributum. Et hæc quidem olim contigerunt. Quid nunc? qualiter ſe habent? Regionem omnem aduenæ poſſederunt,& modo etiam poſsident: Ipſi diſperſi per gentes uagi,& inopes aliena miſericordia uiuũt,& ſpiritum ducunt precarium: non ſupereſt aliquid de priſtino decore & dignitate: & nomen tantum Iudæorum ad ignominiam & opprobrium relictum: nullus dux, ac ne propheta quidem, qui meliora polliceatur, ſicut in Babylonica captiuitate contigit. Quid plura? Nihil contemptius. quum hæc illis obiicimus: fatentur ſe nunc in ira eſſe Dei, Sed quando finietur hæc ira? Meſsiam (inquiunt) expectamus. Nunquid poteſt expectare aliquis uenturum eum, qui iam uenit? Veruntamen licet per me expectent, & ſpe inani torqueantur. Et hæc dicta ſint,ut oſtendatur ex euentu rerum prophetam uera dixiſſe: dum aſſerit peccatum Iudæorum,quod in iuſtum & pauperem admiſerunt, fore perpetuũ. Nec eius uerba aliter quàm de Chriſto intelligi poſſe. Hanc tantam uaſtationem prædixerat illis Ieſus paucis ante mortem ſuam diebus conſpecta e regione Hieroſolyma,& fletu ſuper eam emiſſo. Prædixit enim,quòd circundarent eam uállo inimici,& undique coanguſtarent, & ad terram ipſam pro ſternerent eiuſque filios, nec relinquerent lapidem ſuper lapidem. Cauſa quæ? quia non cognouerit tempus uiſitationis ſuæ. Quid enim maius tribui potuit? Quid magnificentius? quàm uiſitari ab unigenito Dei filio? Quid flagitioſius: quàm tantum uiſitatorem non agnoſcere, uel reiicere potius? Reiicere dico? Imo capere, uincire, flagellare, occidere? Hæc fuit tantæ uiſitationis merces. Dixerat antea Chriſtus ad Iudæos palam,quòd mitteret eis prophetas, & ſapientes,& ſcribas,& ex illis occiderent,& crucifigerent,& flagellarent,& perſequentur de ciuitate in ciuitatem: & ob hæc (inquit) relinquetur domus ueſtra deſerta: de ſe nihil dixit, ſed de eorũ, quos mitteret, queſtus eſt iniuriis: & calamitates,quæ pro his paterentur,propoſuit: nam de his

etiam propheta antea prædixerat. Fiet domus eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit,qui inhabitet. Primus Aelius Adrianus Imperator, qui Hieroſolymam inſtaurauit,& à ſuo nomine Aeliam nuncupauit, uetuit edicto,ne quiſpiam Iudæorum illuc accederet. Deinde propter frequentes eorum rebelliones pulſi & fugati regionem illam omnem amiſerunt:plena nũc eſt incolentium terra Iudæa,ſed externorum, diruta ſunt omnia illa Iudæis, quæ aliis nationibus manſerunt, & manent. Iactabant magnificentiam templi,& in eo maximam fiduciam habebant: Veruntamen,quum egredientem de templo Chriſtum adduxiſſent diſcipuli, ut inſpiceret ædificationes templi,& admirantes dicerent,quales ſtructuræ,qui lapides: tunc ad eos Chriſtus: Videtis hæc omnia,non relinquetur lapis ſuper lapidem, quòd non deſtruatur. Intelligunt etiam nũc Iudæi magnitudinem calamitatis ſuæ, uel hoc ipſo tempore, quo memoriam agimus huius paſsionis: nam in ædibus ſuis abditi latent,nec aſpiciunt publicum: pleriſque etiam in locis ſumunt à magiſtratibus præſidia militum metuentes impetum popularem, ita ut nullus eorum prætendere poſsit ignorantiam paſsionis Chriſti à maioribus ipſorũ illatæ, ſed eius memoria mentibus eorum hæreat. Et hæc quidem in terris Chriſtianorum geruntur. At apud Saracenos audio maiori eſſe odio, quàm nobis ſint. Praua omnino reliquæ gentium nationes, quibus propter eorum ſuperſtitionem & idololatriam,ſuperbiamq.& cæteros perditos mores horribile iudicium imminet: peiores omnibus Iudæi. Tolerabilius erit Sodomis in die iudicii,quàm uobis: Sic enim olim Chriſtus illis minatus eſt: & eiſdem etiam iam antea propheta dixerat. Iuſtificaſtis Sodomam,id eſt,comparatione ueſtri penè eſt iuſta. Magnum uidetur,quòd Iudæi Sodomitas ſcelere antecedunt,quia ipſi peiores: Sed ita eſt: Illi naturalem tãtum legem tranſgreſſi ſunt,Iudæi etiam ſcriptam. Illi prædicatores nõ habuerunt: Iudæi etiã ipſum Chriſtum: nulla apud illos miracula facta ſunt, plurima apud Iudæos. Denique iſti in datorem legis,bonorum omnium fontem, & largitorem manus iniecerunt,irriſerunt,flagellarunt,crucique affixerunt, quod nec Sodomitis nec ullis aliis populis imputari poteſt. E V S. Video te Iudæis infeſtum, qui in eos tam ualdè inueharis. M A R. Ego Chriſtum unicè diligere debeo: Itaque facere nequeo, quin iſtos deteſter, qui odio illum habuerunt gratis, conſeruandos tamen cenſeo, quia nobis codices ſuos portant, per quos de Chriſto edocemur: necnon & ipſos,& cæteros edocere poſſumus, eorumq. neceſsitatibus è conditione humanæ naturæ ſubuenire debemus: demum ſi ſententiam exquiris meam, ita tractandos cenſeo, ut ne quid eis fiat iniuriæ: ſeruos tamen ſe eſſe Chriſtianorum intelligant. E V S. Rectè mihi dicere uideris. Nos tamen ad inſtitutum ſermonem redeamus. Enimuero, dum de Iuda quæreremus, incidimus in illum ſermonem de Iudæis, in quo mihi uideris oſtendiſſe uenditionem iuſti, cuius crimen dominus prophetæ ore dixit non remitti, id non ad Iudam tantũ, ſed ad uniuerſos Iudæos pertinere. Et

quoniam

quoniam de Iuda, cuius cauſa ſermo fuerat inſtitutus, ſatis dictum arbitror: reſtat, vt de Pilato dicas, qui damnauit. MAR. Pontius Pilatus Lugdunenſis fuiſſe fertur, ſed quo genere, qua ſanguinis claritate, quibus opibus fuerit, quos parentes habuerit, nihil pro comperto afferre poſſumus. Miſſus autem à Tiberio Cæſare cum imperio & exercitu in Iudæam decennio eam rexit nullis emergentibus illic bellis. Poſtea iuſſu Vitellii, cui Syria prouincia à Cæſare fuerat delegata, compulſus fuit Romam petere: vt ſe de his, in quibus à Iudæis accuſabatur, coram Cæſare expurgaret: quemadmodum Ioſephus libro duodeuigeſimo antiquitatis Iudaicæ tradit. Is autem Ioſephus vir dicendi facultate inſignis, & Græcorum artibus, id eſt, ingenuis eruditus præclariſsimum Ieſu Chriſto domino noſtro perhibet teſtimonium, vt admirabile ſit à Iudæo prolatum, niſi quòd veritas, vbi ab inuidia non impeditur, omnia ſuperat: Huius viri teſtimonio alias forſitan vtemur, vbi me locus aliquis admonuerit: Nunc illud tantum dicam, quòd aſſerit IESVM fuiſſe Chriſtum in lege promiſſum: & de mirabilibus, quæ geſſerit tam in vita quàm in reſurrectione, prophetas diuinitus inſpiratos fuiſſe prælocutos. Erant antea oracula prophetarum obſcuriora: Verum, vbi Chriſtus, de quo loquebantur, apparuit, ex his, quæ ille geſsit, & paſſus eſt, intelligi melius, & magis illuceſcere cœperunt. Hinc fit, vt à mediocris etiam doctrinæ viris facilè percipiantur. Sed redeamus ad Pilatum, quem Matthæus in Euangelio præſidem nominat: ego Lucæ aſſentior magis, qui procuratorem vocat: nam præſides deſtinabantur his prouinciis, quas Senatus aut populus Romanus decernebat: has autem prouincias, quæ erant in finibus imperii, & exercitu tenebantur, Cæſar ſibi ſumpſerat, & ad has regendas procuratores mittebat non ſolum Senatores, ſed etiam inferiorum ordinum viros. Itaque cum Iudæa eſſet in finibus imperii ad hoſtes propè, & ad eam tuendam opus eſſet exercitu, Pilatum Cæſar, qui prouinciam procuraret, miſit: eadem tamen poteſtate procuratores, qua præſides, fungebantur: differebant tamen, quòd præſides à Senatu populoq; Romano miſsi rationem geſtorum in Senatu reddebant, & ibidem etiam accuſantibus reſpondebant: Procuratores Cæſaris hæc coram Cæſare. Lactantius Firmianus in diuinarum inſtitutionum libris diſputãs de paſsione Chriſti Pilatum legatum fuiſſe dicit: ego tamen, quod nuper dixi, verius exiſtimo, adiutus præcipue à Cornelio Tacito, qui Romani moris periti ſsimus & proximus illis temporibus, & de hac ipſa paſſione agens ſcribit in Neronis geſtis Chriſtum Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectum. Sed de officii nomine hactenus: non enim quale id fuerit ad rem, de qua agitur, quicquam pertinet: quæ tamen non dixiſſem, niſi te antiquitatis ſtudioſum eſſe intelligerem. Quum ergo IESVS adductus eſſet ad Pilatum, accuſare eum cœperunt ſummi Sacerdotes, ſeniores populi, Scribæ, & Phariſei: At quàm abſurdè ingreſsi ſunt: nam quærente Pilato, in quo eum arguerent; Si non eſſet (inquiunt).

quiunt) hic malefactor: non tibi tradidiſſemus eum. Iudicium uolunt eſſe ſuum, ſupplicium Pilati, quaſi quiſquam de reo ſumere debeat ſupplicium prius, quàm cauſam ipſe cognouerit. Veruntamen, quum cognouiſſet innocentem, & ex inuidia adductum, dupliciter ſe exonerare conatus eſt, ne quid in eum ſtatueret. Primum illud, quòd, ut Galilæum audiuit: ſtatim ad Herodem Galilææ tetrarchã remiſit tanquam ad ſuum Iudicem, ut de eo iudicaret. Deinde exiſtimatus ab Herode fatuus eſſe: propterea quòd accuſantibus non reſponderet: & ob eam cauſam remiſſus ad eum eſſet, iterum elabi uoluit: nam quum audiſſet à Iudæis, quòd ſecundum legem eorum deberet mori, quia filium Dei ſe fecit. Accipite (inquit) eum uos, & ſecundum legem ueſtram iudicate. Hoc illi declinarunt illo ſermone. Nobis non licet interficere quemquam: hoc dixerunt, quoniam cupiebant facinus ſuum in Romanos principes uel milites transferre: nam, quód illis non liceret quenquam interficere falſum eſſe Stephanus oſtendit, quem extra ciuitatem proiectum lapidarunt. Iacobus Domini frater, quem de pinna templi præcipitem dederunt: uel forſitan (ut Auguſtinus dicit) dederunt id ſanctitati diei feſti, quod celebrare cœperant, ut nollent tunc hominem occidere: uel (ut Chryſoſtomus exiſtimat) quia uolebant eum occidi non tanquam tranſgreſſorem legis, ſed tanquam publicum hoſtem, quia regem ſe fecerat, de quo non erat eorum iudicare. Hoc igitur reſponſo accepto Pilatus conatus eſt eum rurſus multis rationibus liberare. Et primò adduxit conſuetudinem, qua per illud tempus unum ex reis capitali iudicio damnatum dimittere ſolebat, & propoſuit, utrum Chriſtum dimitti uellent, an Barrabam ſceleſtiſſimum homicidam & latronem in carcere tunc agentem, quaſi Chriſtum inſigni homicidæ & latroni eſſent in liberatione antelaturi. At populus Pontificum ſuaſione Barrabam dimitti maluit, qua in re nequitia Iudæorum deprehendi liquidò potuit: quum dimitti potius poſtularent eum, qui è viuis mortuos, quàm alterum, qui è mortuis viuos redderet, quod crimen Petrus Chriſto iam mortuo eis in concione obiecit. Petiſtis (inquit) verum homicidam donari vobis, authorem autem vitæ interfeciſtis. Vertit ſe Pilatus, quũ illud non profeciſſet, ad aliud: nam, quum regni Chriſtus argueretur, iuſsit deinceps eum ſpinis coronari, & flagellari: & eo modo exceptum produxit ad populum, vt illo ſupplicio ſatur, vel miſericordia cõmotus vltra id, quod videbat, non quæreret, nec in mortem immerentis iret. Improbum ſanè facinus, ne ſcelus admittas, aliud ſceleratum moliri. Mihi quidem uidetur ea de cauſa flagellaſſe IESVM, de qua dictum eſt nuper, & hoc uoluiſſe indicat ille eius ſermo. Corripiam ergo illum, & emendatum dimittam. Attamen exiſtimo facilius adductum eſſe, vt flagellaret ob conſuetudinem Romanorum magiſtratuum, qui reos capitalis criminis damnatos uirgis prius à lictoribus cædi iubebant, ante quàm ſecuri ferirentur, vt ſpacio interpoſito ſe ipſos colligendi eſſet pœnitentiæ locus, ſi forſitan per iram durius damnaſſent:

ſed id

ſed id fiebat: ubi fontes morti addicti erant. In Chriſtum autem Pilatus nondum ſententiam dixerat, ſed à pœna mortis cupiebat eum illis flagellis liberare, tanquam ſatis eſſet ſupplicii ſumptum pro nudo regis nomine, & ita videri poſſet vel iniquiſsimis accuſatoribus. Adiecit illis Pilatus, quòd accuſatoribus dicebat IESVM eſſe innocentem, non inuenire in eo mortis cauſam: & ad extremum uidens, quod nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, lauit manus coram populo dicens. Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos uidebitis: & reſpondens uniuerſus populus dixit. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: & tunc, vt ſatisfaceret populo, tradidit IESVM uoluntati eorum. Abſonum quid ſanè uidetur illa manuum lauatio, quaſi ea ratione crimen abluatur, & recedat, quod ingenioſiſsimus poëta Ouidius improbat illo carmine.

*O nimium faciles, qui triſtia crimina cædis*
*Fluminea tolli poſſe putatis aqua.*

Vbi autem quis uere careret crimine, illa manuum lauatio prodeſſet ad oſtendendum ſe purum eſſe ab illo crimine, nec cæteris id admittentibus cõſentire: vnde in Pſalmo uigeſimo quinto legitur. Lauabo inter innocentes manus meas. Ipſum autem Pilatum peccaſſe, ſermo ille Saluatoris oſtendit, dum reſpondens Pilato illud protulit. Maius peccatum habet, qui me tibi tradidit: nam, qui dicit alterum eſſe in maiore crimine, huic oſtenditur, ne ipſum quidem immunem eſſe criminis: nam etſi illud maius crimen, non propterea hoc nullum eſt. Non enim iuſta cauſa eſt, vt ſedetur tumultus, uel vt multitudini mos geratur, innocentem perimere, quod grauius uideri debet in Pilato, qui exercitum habebat, quo Iudæos poterat coërcere. At timuit, niſi obſequutus eſſet populo, ne quid deterius ſuccederet. Nulla eſt omnino excuſatio magiſtratui, ſi dicat ſe metu adductum iracundiæ populi caput innocentis condonaſſe. At quomodo Pilatus timere potuit circumfuſus Romano milite? Quid idem Pilatus: quum bis Iudæi ſeditionem feciſſent, & pertinacius reſiſterent: nonne eos edomuit magna cæde facta equitatu & militibus immiſsis? vt ſcriptum à Ioſepho habemus. Cur non idem in Chriſti cauſa factum? Cur uocibus ceſsit Iudæorum, qui arma etiam eorum potuit contemnere? Ille etiam (vt author eſt Lucas in Euangelio) Galilæos quoſdam obtrectantes Romanis imperatoribus, & ſeditioſis utentes uocibus vnà cum aliis eorum uictimis ſacrificauit, ita vt mixtus utrorumque flueret cruor, quos ob eorum delicta rectè interfectos Chriſtus iudicauit. Nõ poteſt autem excuſari Pilatus, quòd accuſationi Chriſtus non reſponderit: nam illi crimini, quòd prohiberet cenſum dari Cæſari, non uidetur fidem habuiſſe, falſum erat prohibuiſſe, ſed potius dixiſſe ſoluendũ. Alterum crimen, quod filium Dei ſe faceret, quid hoc ad Pilatũ, qui alterius erat religionis? Quamobrem tacuit meritò Chriſtus nõ defendens, quod obiiciebatur: quum eius rei iudicium ad eum non pertineret: & tanta erat res, vt ſuaderi tunc non

poſſet

poſſet: & licet ab initio pertimuerit, ubi filium Dei audiuit, tamen hoc crimen uidetur poſtea contempſiſſe: non enim ſi filium Dei credidiſſet, illum contumeliis, flagellis, cruce denique afflixiſſet. Reſtat regni crimen, quo poterat Pilatus commoueri, qui prouinciam Cæſaris nomine obtineret. Hoc crimen, & ſi apertè falſum erat, tamen Chriſtus etiam uerbo diluit, dum dixit. Regnum meum non eſt de hoc mundo: & oſtendit ſe non habere miniſtros, quibus non modo contra Cæſarem, ſed nec contra Iudæos decertare poſſet. Non tacuit etiam Chriſtus, quum Pilatum uidiſſet intumeſcentem: nam quum dixiſſet ille. Mihi non loqueris? Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te: hunc tumorem vt deiiceret Chriſtus, reſpondit. Non haberes poteſtatem aduerſum me ullã, niſi datum tibi eſſet deſuper: hoc rectè obiectum eſt: omnis poteſtas eſt à Deo etiam in mala hominis uolũtate: cupiditas iniquorum eſt à ſeipſis, ſed efficere, quod cupiunt, pendet deſuper à diuina uoluntate, quæ permittit iniquos male agere, uel ad aliorum iniquorum pœnam, uel ad iuſtorum probationem & ſplendidiorem coronam. Demum quid agit Pilatus poſt tot colluctationes? hominem innocentem pronunciauit: & nihilominus ſupplicio traditur. Nec tamen id impune tulit. Dixi antea Iudam & Iudæos magnis malis afflictos fuiſſe ob Chriſti necem. Idem contigit Pilato: nam poſt hanc iniquam damnationem accuſantibus Iudæis coactus eſt apud Tiberium Cæſarem cauſam dicere, & ab eo damnatus in exilium miſſus fuit: vt Ioſephus ſcriptum reliquit. Euſebius quoque ſecundo eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcribit Caii Caligulæ temporibus tot malis oppreſſum fuiſſe, vt ſibi manus intulerit uiolentas, nec mitior in ſeipſum, quàm Iudas fuerit. EVS. Dixiſti de Pilato. De Herode uerò, qui cum irriſione dimiſit dominum, tenes ne, quid actum de eo fuerit? MAR. Nihilo meliorem habuit exitum. Is Herodis regis filius, ſub quo Chriſtus natus eſt, tetrarchiam Galilææ obtinebat Tiberio Cæſare imperante, in cuius honorem ciuitatem Tiberiadem propè ſtagnum Geneſar condidit, quam iniquis hominibus & fugitiuis referſit: iniuſtus enim erat, ferus, & crudelis: ita ut ſicarius in ciues, latro in nobiles, populator in ſocios haberetur, nota eſt etiam eius ex Euangelio crudelitas, qui inter epulas, ut puellæ Herodiadis, quæ ſaltãdo placuerat, obſequeretur, iuſsit caput à Ioanne Baptiſta auferri, & in diſco puellæ offerri. Accidit poſtea, ut quũ in Perſis ſtirps regii generis defeciſſe putaretur, fortiſsimi quique & delectiſsimi Perſarum Herodem per legatos uocarent, ut regnaret: quo, quum ueniens ſuſcepiſſet imperium, habitus ob crudelitatem ſuſpectus à multitudine interficitur. Sic iſti duo, quorum poteſtati traditus fuit Chriſtus, miſerè interierunt, nec tam miſerum, quòd interierũt, quàm quòd illo interitu & omnibus pœnis digni habiti ſunt. Poterat Chriſtus ſe à iudicio, & ab hoſtium manibus eripere diuina uirtute: ſed ſi illo modo ſalutem ſuam tueri uoluiſſet: uniuerſorum hominum ſaluti parum conſuluiſſet: ſuam ergo prodidit ſalutem, ut omnium lucraretur.

lucraretur. Ipſe vinci maluit, vt in eo cuncti uictores eſſemus. Nam, quòd populus reiiciens à Pilato crimen & transferens in ſe reſpondens dixit, Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros, hoc, quod clamauerunt Iudæi, conuenit etiam nobis; ſed illis conuenit ad pœnam, nobis ad gloriam. Nos per CHRISTI ſanguinem maxima bona conſecuti ſumus, illi maxima mala: neque tamen in cunctis Iudæis ſententia hoc diuina confirmauit. Sed multos recepit, qui pœnitentiam egerunt; & ad fidem tranſierunt: nam ex illis Paulus fuit, & multa millia, quæ poſtmodum crediderunt. Prima enim ecclesia CHRISTI Hieroſolymis apparuit, quæ multas paſſa inſectationes Iudæorum ſummam laudem promeruit. EVS. Omnino non meretur excuſari Pilatus à peccato. Sed quid illud ſibi vult, quòd ſedente Pilato pro tribunali miſit ad eum uxor dicens. Nihil tibi & iuſto illi: multa enim hodie paſſa ſum per uiſum propter illum. Scire enim cupio: Cur illa inſomnia mulier uidit, ac non potius Pilatus? Cur non potius uigilans illa uidit, & quæ ſunt illa, quæ perpeſſam ſe dicit? MAR. Nihil equidem tibi certi de his afferre ualeo, præter id, quod nudè in Euangelio narratur. Ioannes autem Chryſoſtomus ad cætera argumenta, quæ de Chriſti innocentia erant perſpicua, hoc non paruum additum putat, quòd ſomnium acceſſerit: Nec mirum eſt dormientis animum curis omnibus & motibus externis in ſomno ſolutum melius admoneri, quàm uigilantis. Itaque mulier ſomnio admonita iuſtum illum appellat. Idem Chryſoſtomus affert rationem eius, quod tu quærebas. Cur (inquit) ipſe Pilatus ſomnium non uidit? Aut quia mulier dignior erat; Aut ſi uidiſſet, & dixiſſet, non æquè ſibi creditum fuiſſet: aut fortaſſe, ne dixiſſet quidem, ſed intra ſe ipſum tenuiſſet: ideò diſpenſatione diuina mulier uidit, vt omnibus palam faceret, nec uidit tantum, ſed multa etiam per ſomnium patitur, vt uir miſericordia commotus ad cædem ſegnis redderetur. Temporis quoque opportunitas non parum conferebat: eadem enim ipſa nocte ſomnio illo fuit exagitata. Habes ferè ad uerbum, quæ hac in re Chryſoſtomus tradidit. Verum tamen, quòd ille ait diſpenſatione diuina factum, id diabolo quidam adſcribunt, qui, quod euenit, metuebat, & ne fieret cupiebat. Vt igitur initio per mulierem mundo mortem intulerat, ita per mulierem conatus eſt ſalutem auertere, metuens, ne per Chriſti mortem, mortis amitteret imperium. Sed nodum ingerit, quod in Euangeliis legitur Satanam in Iudam Iſcariotem intraſſe, & in cor eius miſiſſe, vt traderet Chriſtum. Quomodo ergo ſe medium interpoſuit, ne fieret, quod fieri cupiebat? An id tantum malum fieri uoluit, & prohibere bonum, quod ſequebatur? At non facile eſt, ubi quid turbaris, rurſus ſiſtere. Illud uero indicat diabolũ neſcio quam habuiſſe opinionem Chriſtum filium eſſe Dei, quòd Petrum ab hac fide deducere conatus eſt, nam dixit Chriſtus Petro, quòd expeteret eum Sathanas cribrare ſicut triticum, ſe autem oraſſe pro illo, ne eius fides deficeret. Et Petrus quidem ceci-

dit, ſed in caſu non perſtitit: uerba uerò mulieris nihil profuerunt, niſi, quòd una è gentibus mulier iuſti nomen Chriſto tribuit, bono præſagio futurorũ, quòd qui de gentibus uenirent plus, quàm Iudæi ſequerentur: & remoto diuino decreto illa morte indignum iudicarent. E V S. Quomodo hoc dicis remoto diuino decreto illa morte indignũ iudicarent? Eſt ne aliquis dignus ſimul & indignus mori. M A R. Ita eſt, ſi ad diuerſa feratur aſpectus. Si enim mortem ſimpliciter ſpectamus, indignè qualemcunq. mortem oppetiit is, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Sin autem diuinũ inſpicimus decretum, cui obtemperare debuit, è dignitate eius fuit acerbiſſimam etiam mortem ſubire: ſi enim aliquid indignè tunc egiſſet, non dediſſet illi Deus pro hac obedientia nomen, quod eſt ſupra omne nomen: vt in nomine I E S V omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. At enim mors Chriſti non ſolum dignitatem indignitatemue ſecum affert diuerſis rationibus, vt iam expoſitum eſt, ſed etiam eius cauſa quibuſdam affert laudem, aliis pœnam. Etenim ſic conſidera, Chriſtus traditus eſt in mortem à patre, ſeu à tota trinitate, à ſeipſo: a Iuda etiã traditus fuit, & à Iudæis. De Patre ſcriptum eſt ab Apoſtolo ad Romanos. Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et penes Matthæum ipſe. Sic Deus dilexit mundum: ut unigenitum ſuum daret. De filio teſtatur idem Apoſtolus ad Epheſios, Sicut Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſe ipſum pro ea tradidit. Et Eſaias. Oblatus eſt, quia ipſe uoluit. Iudam autem & Iudæos tradidiſſe Chriſtum euangelia undique teſtantur. Ex hoc traditionis opere laudari & benedici meretur pater, ſeu Trinitas Deus, quia fecit ex charitate, & qui ex eadem motus eſt filius aſſumpta carne. Iudam uerò & Iudæos deteſtamur, quia ex auaritia Iudas, Iudæi ex inuidia tradiderunt: una actio, ſed agentiũ diuerſa uoluntas: hinc charitas, illinc pecuniæ cupiditas, & inuidiæ æſtus. Multiplex fructus paſsionis Chriſti, quorum primus redemptio fuit totius humanæ gentis, ſequitur exemplum tolerandæ patienter mortis, nec ueritatis deſerendæ ob tormentorum ictum aut metum, hic tantus fructus, nec Iudæ, nec Iudæis adſcribi poteſt? non enim hoc uoluerunt, aut etiam cogitauerunt, ſed cupiditatibus ſuis præcipites acti omnia egerunt. Sed nec in paſsione ullus fructus, ſed in uoluntate patiendi, quæ in Chriſto fuit excellentiſsima ob honeſtiſsimas cauſas. Non Iudæ Iudæorumque improbitas ſalutem uniuerſis, ſed Chriſti diuina uirtus, qui aliorum improbitate ad utilitatem noſtram uſus eſt. Fac Chriſti ſanguinem, quem effudit, in altera libræ lance impoſitum appendi poſſe, idem de doloribus cũctis, & cruciatibus dicamus fieri poſſe: Num etiam immenſam illam charitatem Chriſti, quæ ad hæc ſubeunda impulit, humanis dicemus ponderibus poſſe examinari? Nonne hæc lanx cœlum, terras, maria altera ex parte impoſita deprimet? Atqui Iudam argenti cupiditate motum tradidiſſe manifeſtum eſt; Iudæos etiam inuidia commotos tradidiſſe Pilato euangeliſta teſtatur. Non enim poterant ferre

primores

primores honorificum de Chriſto uulgi iudicium, quòd eum, ut prophetam habebat: non poterant ferre tot ſigna facientem, ueriti ſunt, ne illis contemptis atque reiectis multitudo eum ſequeretur. Pro eodem igitur facto ſupplicium meruerunt. Vnde Chriſtus laudem & ſempiternam gloriam, & ad inuictam patris dexteram ſedem eſt conſequutus. Dices ex Chriſti ſermone, quem habuit de Iuda. Bonum eis fuiſſet, ſi nati non eſſent. Ita eſt, ſed non, quia nati ſunt, ſed quia ſe ipſos corruperunt, puniuntur. Vt enim, qui mortem patienter ſuſtinent honeſtatis ſtudio laudantur, uituperantur autem, qui mortem inferunt. Sic Deus, qui Chriſtum uoluit patienter mortem ſubire ex charitate, & Chriſtus qui eadem de cauſa ſubiit, meritò commendari merentur. Iudas autem & Iudæi, quibus procurantibus Chriſtus occiſus eſt, hærent in crimine, & uituperantur. Abiiciendus autem ſermo ille, quòd maximæ crudelitatis uidetur fuiſſe hominem iuſtiſsimum & innocentiſsimum morti tradere, præſertim quum id ageretur, ut eius ſupplicio nocens abſoluatur. Non enim Deus iuſsit, aut ſuaſit alicui, ut Chriſtum occideret, quod ſine maximo ſcelere fieri non poterat, ſed Iudæorum malitiæ, quam ipſe non fecerat, ſed ſibi illi crearant, permiſit, ut occiderent: ut more ſuo utens ex alieno malo eliceret non bona ſolum, ſed etiam optima. Non igitur Deus crudelis dicendus eſt. (quod etiam dictu eſt nepharium) non enim ſanguinem Chriſti appetiuit, ſed eius uoluntate optima delectatus eſt, qua ſponte ſeſe pro uniuerſi generis ſalute ut hoſtiam obtulit: hoc enim ſingularis charitatis eſt ſeipſum nihil tale meritum offerre ſupplicio, ut nocens alius liberetur. Non etiam accipio, quòd plerique alii obiiciunt magnam abſurditatem conſequi, ſi ut purgetur unum peccatum, aliud committatur, præſertim ſi id, quod additur peccatum, primo ſit grauius: ſicut hic contingit: propterea quòd occiſio Chriſti grauioris eſt culpæ, quàm Adæ peccatum, quod redimebatur. Hæc non ſubſiſtunt: nam luere ſcelus alio ſcelere, ſi id fiat ab eo, qui purgare primum ſcelus debuit, tam abſurdum eſt, quàm ſi quis uellet lutum luto abſtergere. Sed quod nam admiſit ſcelus Chriſtus, ſi profuſione ſanguinis ſui precioſiſsimi abſtergere uoluit omniũ peccata? Tantum abeſt, ut id fuerit ſcelus, ut hoc imputatum fuerit ei ad maximum meritum, maximamque miſericordiam. At peccarunt Iudæi. Quid tum? hoc enim permiſit Deus eorum liberæ uoluntati: nec permiſiſſet, niſi uidiſſet Chriſti occiſionem redemptionem fore noſtram. EVS. Tu fortiter diluiſti obiecta, quæ forſitan commouere unum de multis potuiſſent. Nunc quoniam hunc campum ingreſſus es, ut refellas ea, quæ hæſitantem facere, & in aduerſum impellere poſſent, dicam tibi aliud, quod perturbare etiã quemuis poſſet. MAR. Cauendum eſt omnino, ne quis tanta in re, in qua cardo ſalutis noſtræ uerſatur, titubet. Itaque expecto, quid afferas, quamquam ſcio pro te minus laborare, ſed uis erudire iſtos adoleſcentes, quos erudiendos ſuſcepimus, & explicari, quicquid in re eſt. EVS. Ergo dicam, quod nunc occurrit, non quod

in eo reſidendum ſit, ſed ut oſtendas, quomodo refellatur. Chriſtus uidetur ſummopere affectaſſe, ut filius Dei crederetur; id docuit uerbo, docuit etiã operibus, dum miracula illa ingentia efficeret: quapropter ad Iudæos quærentes, ut diceret palam, num eſſet Chriſtus: Loquor (inquit) uobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipſa perhibent teſtimonium de me: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non uultis credere, operibus credite, ut credatis. Idem hoc paſſionis tempore ad diſcipulos de illis. Si opera non feciſſem, quæ nemo in eis, peccatum non haberent. Et eodem ſermone, quum diceret, quòd pater in ipſo, & ipſe in patre eſſet, ut hoc, quod tam magnum erat, crederetur, eadem opera adduxit. Non creditis (inquit) quòd ego in patre, & pater in me eſt? Alioquin propter ipſa opera credite. Et, quum Ioannes miſiſſet diſcipulos, ut interrogarent: Tu es, qui uenturus es, an alium expectamus? Reiecit illum ad opera. Cæci uident, claudi ambulant, & cætera. Legere me memini penes Auguſtinum Chriſtum tot edidiſſe miracula, quot uniuerſus ſanctorum cœtus in unum collatus non ediderit; quod ex euangeliis comprobatur, maximè his locis, ubi legitur uulgo ad eum deferri ſolitos ægrotos, quibus manus imponens ſanabat omnes. Ioannes autem Euangeliſta, qui omnibus geſtis interfuit, adeò ut ne, quum crucifigeretur, defuerit, hic in fine euangelii ſui adeo elatus eſt dicendo, ut teſtetur multa alia feciſſe IESVM, quæ, ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum mundum libros capere poſſe. Si igitur his commoti homines, ut decuit, credidiſſent: neutiquam, ut ait Apoſtolus, gloriæ dominum crucifixiſſent, ex quo ſalutis humanæ redemptio impedita fuiſſet. Quid ad hæc? MAR. Rem exquiris Euſebi nõ nouam, nec à te nunc primum auditam, ſed à quibuſdam aliis, & à me quoque aliquando excogitatam. Verum in mea cogitatione illud ſtatim occurrebat. Si Chriſtum Iudæi non crucifixiſſent, ſi nemo illi moleſtus fuiſſet: Imò (ut par erat) omnes ut benefactorem amauiſſent, & ut magiſtrum coluiſſent, & ut Deum adorauiſſent, nõ defuiſſet Deo alius modus recuperandæ humanæ ſalutis. Sed quũ præuideret Deus, quód Iudæi non ſolum ſeruos cæderent, & contumeliis afficerent, ſed neque, ſi mitteret filium, uererentur: quin potius extra uineam eiectum occiderent, modum hunc credidit aptiſsimum liberandi humanum genus à calamitate, in quam inciderat. Sic enim futurum, ut Diabolus, qui hominem uicerat, ab homine uinceretur: & qui debitam mortem ſubierat, alterius indebita morte liberaretur. Itaque ſi diuinum hoc decretum inſpicimus, impoſsibile erat aliter humanum genus à peccati ſorde liberari: ſed ſi ad infinitam Dei ſolummodo potentiam libet aſpicere, infinitæ quoque patebant uiæ, quibus ſalus noſtra conſtaret. At hic occurrit: ſi non fuit alius congruentior iſto modus ex ſententia Auguſtini, & cæterorum patrum, hoc fieri fuit neceſſe: quia optimi eſt optima adducere, quæ ſanè argumentatio contra Deum non concludit: qui ita poteſt optima facere, ut meliora etiam poſsit:

potuiſſet

potuiſſet (placuiſſet modo) uel ſolo nutu, uel ſi quid nutu eſt leuius, omnem humanam culpam delere: nec, quum miſericordia utitur, præiudicium facit iuſtitiæ: quicquid enim uult, ſtatuit, decernit, non aliundè quàm à iuſtitiæ fontibus proficiſcitur: hunc tamen modum, quem in manibus habemus, probauit, qui tametſi commodiſsimus uideatur, alium commodiorem adduxiſſet, ſi hoc immenſæ eius prouidentiæ ſediſſet. Et (ut breuiter dicam, quod mihi uidetur) hæc quæſtio clauditur melius admiratione diuinæ potentiæ, quàm pertinaci diſputatione, nullis circunſcripta eſt illa limitibus, nullum nec initium nouit, nec finem. Quamobrem ò Mariane & Pauline (nam hæc Euſebio notiſsima ſunt) temerarium eſt, quum de diuina potentia agitur, terminum præfigere, & dicere hoc poteſt, illud non poteſt: uel ſic poteſt: non ſic: uel commodius aliud facere non poteſt: abſit hæc à fidelium ore oratio: plus enim ille poteſt, quàm nos cogitando capere ualeamus. Diſſolui etiam argumentatio aliter poteſt: nam Chriſtus uenerat eo animo, ut quodlibet pateretur redimendæ ſalutis noſtræ cauſa. Itaque ſi credidiſſent, iam humanæ ſalutis redemptio profecta fuiſſet: quia uoluntas illa patiendi munus illud impleſſet: at non crediderunt, quin etiam crucifixerunt: ideo non uoluntatem nudam tantum patiendi, ſed etiam rem ipſam Chriſtus attulit, ex quo plenior facta eſt illa redemptio & copioſior, & ad maiorem dilectionis demonſtrationem, & ad exemplum patientiæ & humilitatis ſingulare.

# MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PASSIONE DOMINI LIBER SEXTVS.

## EVSEBIVS.

POSTQVAM de Chriſti paſsione multa percurrimus, ut de his, quæ in morte contigerunt, nonnulla diceres. MAR. De miraculis dicis? EVS. De his inquam ipſis: libentius enim ea, quæ Deus geſsit tractare conuenit, quàm ea, quæ ut homo à ſceleratis, & cum ſceleratis paſſus eſt. Ex his namque mirabilibus Centurio, & qui cum eo erant, adducti ſunt, ut dicerent. Verè filius Dei erat iſte: & omnis turba eorum, qui ſimul aderant uidentes, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. MAR. Atqui ea ex euangeliis apertè colliguntur: non enim his adiicere aliquid poſſumus: & illud in primis occurrit, quòd à ſexta hora, qua Chriſtus in crucem ſublatus eſt, uſq. ad nonam, qua expirauit: tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſam terram: & ita Matthæus & Marcus narrant. Lucas autem iiſdem utens

verbis

verbis adiicere uidetur cauſam. Et obſcuratus eſt (inquit) Sol. Et quum tres Euangeliſtæ, ſicut ſupra expoſitum eſt, loquantur: auſus eſt tamen Origenes antiquiſsimus, idemque facundiſsimus Eccleſiæ doctor, de cuius fontibus reliqui hauſerunt, dicere non in omnes terræ partes tenebras fuiſſe factas. Opponunt ſe (inquit) iſtis filii huius ſeculi quærentes, quomodo hoc actum tam mirabile nemo Græcorum, nemo Barbarorum conſcripſerit: maxime hi, qui chronica conſcripſerunt, & notauerunt: ſi quidem tale unquam nouum accidiſſet. Et Phlegon quidem in chronicis ſuis imperante Tiberio Cæſare ſcribit factum, ſed non ſignificauit luna plena. Ipſe autem arbitratur tenebras tantum factas ſuper Hieruſalem, uel ſi quis latius extendere uoluerit, ſuper omnem Iudæam, nec eas factas eſſe, propterea quòd Luna Soli ſe oppoſuerit, & aſpectus noſtros abſtulerit, ſed quòd uel aer denſior effectus fuerit, uel quod multæ & magnæ tenebroſæ nubes illuc conuenerint. Addit ſimilitudinem tenebrarum, quæ factæ ſunt Aegyptiis non Lunæ interiectu, ſed denſiore aere reddito. Et ſicut (inquit) ſub Moiſe extendente manus in cœlum obortæ ſunt tenebræ tribus diebus, ſic vt alter alterum non uideret, nec decederet de loco, in quo erat: Iudæis autem fulgebat lumen, ubicunque commorabantur: Sic ſub Chriſto manus in crucem extendente ad cœlum tribus horis tenebræ incubuerunt ſuper populum, qui crucifixerat, vt uerum lumen non agnoſceret: lumen autem effulſit ſuper reliquis orbis partibus, ubi gentes commorabantur, quia agnouerunt hæ Chriſtum, & receperunt uerò lumine perfuſæ: ſed quòd poſt hora nona lumen Iudæis redditum, manifeſtum eſt, quòd reliquus Iſraël ſaluus fiet, quum plenitudo gentium intrauerit. Hoc acutè, vt reliqua, Origenes, qui vult Aegyptias tenebras harum imaginem extitiſſe. Verumtamen Origenis ſententiæ repugnãt plurimi, qui hoc non facerent (tantum pollet Origenis authoritas) niſi repugnaret hoc euangeliorum uerbis, quæ luculenter aſſerunt tenebras ſuper uniuerſam terram factas fuiſſe. Nam, quod obiiciunt plerique, vt euangeliorum ueritatem cõturbent, neminem neque Græcorum, neque Barbarorum de tam mirabili facto mentionem ullam habuiſſe, hoc dici non cõueniebat, niſi his, qui omnia illorum temporum ſcripta penes ſe habuerint, & lectitarint: quod haud ſcio, an cuiquam cõtingere poſsit. Certè Phlego, quem Origenes adducit, de his meminit. Fuit autem is Phlego Olympiadum præſtantiſsimus deſcriptor. Verba autem eius hac in re ſunt hæc in decimo tertio libro, quemadmodum ab Euſebio relatum eſt. Quarto anno ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ unquam antea acciderunt defectio ſolis facta, dies hora ſexta, ita in tenebroſam noctem uerſus, vt ſtellæ in cœlo uiſæ ſint, terræque motus in Bythinia Nicenæ urbis multas ædes ſubuertit. Quid Dionyſius Areopagita philoſophus inſignis, quum eſſet Heliopoli, & cum eo Apollophanes Sophiſta celeberrimus, naturaliumque rerum ſcientiſsimus; nonne uterque uidit Lunam Soli oppoſitam

ab Oriente

ab Oriente venientem, ſe repente ei coniungere, & poſt nonam horam, uſque ad veſperam paulatim regredientem ſe in priſtinum ſtatum reſtituere? quæ, quum ſuperarent naturæ ordinem, non enim conueniens erat tempus coniunctioni, & vbi coniungitur, progredi, non regredi ſolet; obſtupuiſſetque Dionyſius. Tum Apollophanes. O formoſæ (inquit) Dionyſi, diuinarum rerum conuerſiones. Scribit hæc ipſe Dionyſius ad ſapientem Polycarpum, petitque ab eo, vt horum memoriam Apollophani ſuggerat, vt oſtendat contigiſſe tempore, quo Chriſtus in crucem actus eſt, velitque Chriſto cedere, & Chriſtianam veritatem amplecti: quidam referunt dixiſſe eum viſo tam miro oſtento. Aut Deus naturæ patitur, aut vniuerſa mundi machina deſtruetur: quæ ego verba non accipio vt plerique, voluit enim (vt opinor) ille dicere, quod aut Deus, qui omnem regit naturam, occupatus aliquo animi affectu non animaduertit ad ea, quæ extra ordinem tunc fiebant, aut mundi machina in rudem illam indigeſtamque molem, quam Græci chaos vocant, rediret: credidit perturbato vno mundi ordine reliquum ordinem perituram. Scribit Euſebius ſe legiſſe in commentariis Ethnicorum anno Tiberii decimo octauo Solis ingentem defectionem factum, & grauem ſimul terræ motum extitiſſe. Conſtat autem decimo octauo Tiberii anno Chriſtum paſſum: nam ex Euangeliis colligitur quinto decimo Tiberii anno I E S V M baptizatum à Ioanne fuiſſe, & prædicationem cœpiſſe, & diſciplinæ ſectatores habuiſſe, ab eo autem vſque ad eius mortem tres annos effluxiſſe. Quapropter non eſt, quòd de Euangeliorum fide dubitetur, quia ab externis non ſic id literis mandatum: illi namque ſcripſerunt. Ego fidem haberem, etiam ſi nulla aliorum de his litera extaret, tum propter ſimplicitatem ſcribentium, tum etiam, quia illo tempore ſcripſerunt, quo ſunt geſta: & facilè, ſi falſo ſcripſiſſent, mendacii coargui poſſint ab his, qui Chriſti nomen oderant, & ſupplicio dignum iis, qui ſequerentur, ducebant. E V S. Rectam miſti rationem, qua oſtendis diſcipulis Chriſti eſſe credendum in his, quæ de eo ſcripſerunt: & vndique etiam non inter Iudæos modo, ſed etiam in gentibus prædicabant: falſitas enim ab illius ſeculi viris conuicta fuiſſet: Omnia namque falſa & ſimulata ſunt inania, & tanquam floſculi decidunt: nec radicem altius agere queunt, ſed multo libentius Euangelii literis creditur, quando hi, qui à fide noſtra alieni ſunt, eadem in commentariis ſuis docent, veluti, vt exempli cauſa aliquid inſeram, de cenſu capitũ Iudææ, quæ ſub Cyrino præſide Syriæ facta eſt, meminit Ioſephus, & de occiſione infantium à bimatu infra meminit Macrobius cum lepido Auguſti dicto. Quum audiſſet (inquit) Auguſtus Herodem regem Iudæorum inter pueros, quos in Syria intra bimatum iuſſiſſet interfici, filium quoque eius occiſum: Præſtat (inquit) Herodis magis eſſe porcum quàm filium. Philo quoque, quem Hieronymus Iudæorum ait eſſe diſertiſsimum, in temporũ breuiario ſcribit Herodem proprium filium, quem ex vxore de tribu Iuda ſuſceperat, interfeciſſe, & addit

cauſam concurrentem cum Euangelii ſermonibus, quoniam diceretur Chriſtus in lege promiſſus eſſe iam natus. Apparet igitur in his, quæ ad hiſtoriam rerum geſtarum pertinent, non fallax eſſe euangelium, ſi quidem alienorum etiam à religione noſtra teſtimonio confirmantur. MAR. Nihil euangelio fidelibus certius eſſe debet, quia ſi imminuatur fides, aut dubium quis uideri tradat, labefactaret fundamentum ſalutis noſtræ, quod debet eſſe firmiſſimum. Sed, vt ad ea, de quibus modo loquebamur, redeam, id eſt, tenebras & defectionem Solis, nolo te ignorare alios quoſdam Hieronymo & Ambroſio authoribus dicere tenebras inductas fuiſſe non Lunæ interiectu ad Solem, ſed Solem radios retraxiſſe, & intra ſe tenuiſſe: ex quo obſcuritas profundæ nocti ſimilis conſequuta eſt. At quo fine, quoue propoſito hæ tenebræ effuſæ non minus uariant ſententiæ: hi argumento eas fuiſſe dicunt ſupra Iudæorum pectora tenebras manſuras, & ſummis tunc tenebris mentes eorum oppletas fuiſſe: illi, vt oſtenderetur creatarum rerum eſſe Dominum, qui tunc mortem ſuſtineret, quando & terram concuteret, & Solem obſcuraret. Alii uoluiſſe Deum luctus ſigna dare, & in lugentis habitu mundum oſtendere eorum more, qui in morte chariſsimorum lumine omni ſublato diem ſibi adimunt, & tenebras perſequũtur etiam in indumentis: nam nigris induuntur. Thomas autem credit tenebras magis factas coniunctione duorum luminarium contra ſolitum curſum, quàm alia ratione, quia Dionyſius oculata fide in Aegypto exiſtens inſpexerit: & aſſerit cæteros aſtrologos hunc Solis defectum minimè obſeruaſſe, quia alienum erat tempus, quo Sol defectum pati deberet, potuiſſe autem opinari obſcuritatem illam tantam aliqua aëris ratione, aut quadam alia occultiore cauſa cõtigiſſe. Dionyſium autem cum ſociis in Aegypto exiſtentem, vbi raro nebuloſum eſt cœlum, id, quod factũ fuit, diligenter animaduertiſſe: vult deinceps Chriſtum per cœleſtia corpora ſignum dediſſe, tunc quum imbecillitatem humanam oſtenderet, vt Deus pariter eſſe cognoſceretur: hoc autem uiuens ipſe phariſæis ſignum de cœlo petentibus facturum ſe negauit. Duobus autem id fecit temporibus, ne quis humilitatem eius deſpiceret: primum, quum natus uilibus pannis obuolutus in præſepio iacuit: nam tunc fulgidam ſtellam nunquam antea uiſam inſolitum carpentem iter eduxit: quamobrem Maximus in ſermone natiuitatis illud protulit. Si præſepe deſpicis, erige paulifper oculos & nouam in cœlo ſtellam proteſtantem mundo natiuitatem dominicam contuere. Deinde, quum in cruce paſſus eſt, uoluit ſignum de cœlo oſtendere, quo deitatem ſuam indicaret, & quia maximam tunc induit infirmitatem, maiori etiam miraculo circa duo præcipua mundi luminaria, & quæ principatũ obtinent inter cœleſtia corpora, ſe Deum oſtendere dignatus eſt. Et hæc quidem Chriſto in ligno pendente, & adhuc ſpiritum ducente, ſic habuerunt. Poſt mortem autem eius uelum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum. Hoc ſignum geſtæ rei congruit: nam ideo uelum ſcinditur, vt

oſtendatur

oſtendatur morte Chriſti patefacta eſſe diuinitatis myſteria, quæ antea ſumma cum ratione fuerant occultata: nullum eſt iam uelum, quod populum ſegreget à ſanctis ſanctorum, cuilibet licet intrare, & ea mentis oculis contemplari, hoc beneficium debemus morti Chriſti, quòd per eam ueteris legis conſciſſum eſt uelum, quod antea ſub uariis figuris & imaginibus & uerborum ambagibus magna cœli myſteria contegebat. Hieronymus itidem laudandus, dum inquit, velum ſcinditur, ideſt cœlum aperitur: nam morte Chriſti remoto obſtaculo aditus eſt nobis ad ſancta ſanctorum, hoc eſt, ad regna cœleſtia apertus. Sequitur aliud, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ. Hæc ſigna ſunt permagna, quum oſtenditur ea, quæ ſunt immobilia commoueri, & quæ duriſsima ſunt frangi: dici etiam poteſt ad demonſtrationem luctus contigiſſe. Tellus enim ueluti imitaretur eos, qui in luctu crines, & ueſtes lacerant, & præ dolore pectus, & lacertos plangunt, & unguibus genas inuadunt, & undique ſe commouent non ferentes acrimoniam doloris: ſic ipſa more, quo poterat, luctum oſtendens petras ſcidit, & ab imis uſque fundamentis contremiſcit, non ſuſtinens (vt ſic dicatur) tanti ſceleris crucem: dicendum eſt etiam id factum fuiſſe ad demonſtrationem quandam, quòd ſcilicet Chriſtus omnem potentiam & firmitatem humanam concuteret, frangeret, ſuperaret: & de terræ motu quidem dictum eſt antea, quum de tenebris loqueremur, ubi demonſtratum eſt (ſi meminiſti) idem gentium literis contineri, his iam dictis nihil adiicerem, niſi quidam opinarentur, qui tunc contingit terræ motus, eſſe eundem, de quo ſcribit Plinius naturalis hiſtoriæ author ſecundo libro. Maximus (inquit) terræ memoria mortalium extitit motus Tiberii Cæſaris principatu, duodecim Aſiæ urbibus una nocte proſtratis: his autem argumentis utuntur, quod maximus ille fuit terræ motus, quòd in Aſia factus, quòd Tiberio imperante: nam quòd dicit una nocte, nihil refert, quia potuit illis in locis diutius morari. Hoc tamen, vt quiſque volet, accipiat. Nullum ne aliud admirabile factum in morte Chriſti dicemus? Aliud, nam vt eſt apud Matthæum. Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius uenerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Hæc uerba conſideranda ſunt diligentiſsimè. Surrexerunt (inquit) apertis monumentis, hoc dictum eſt, ne quis exiſtimaret idola quædam illa fuiſſe mortuorum, & ſimulacra inania corpore uacantia, non quòd uerè aliqui cum corpore reſurrexerint. Intelligendum eſt autem eos reſurrexiſſe poſt Chriſti reſurrectionem, quoniam ille eſt primogenitus reſurrectio nis ex mortuis. Nemo ante Chriſtum reſurrexit cum immortali & glorioſo corpore. Itaque quærentibus, quid factum ſit de his, qui ſurgente Domino reſurrexerunt, reſpondetur ſurrexiſſe eos in æternam uitam. & aſcendente ad cœlos Domino eos pariter aſcendiſſe: non enim ſurrexerunt, ut iterum caderent, ſed vt dominum comitarentur, & de illo prædicarent, quæ uerisſi-

ma erant & optatiſsima, vt mox dicetur. Additur, uenerunt in ſanctam ciuitatem, ideſt, Hieroſolymam, quæ ſancta uocabatur, quia illic inerant ſancta ſanctorum, & magnificentiſsimum illud templum ſacrificiis unicè aptum, & ſancta etiam ideò uocabatur, non quòd non multa illic fierent ſcelerate, vt tunc etiam accidit, ſed quòd hoc nomine diſtinguebatur à cæteris ciuitatibus gentium, quæ idola colentes impietatis morbo corruptæ erant. Apparuerunt multis, quid vt facerent? Nonne vt Chriſtum docerent, & glorioſam eius reſurrectionem? Hic incœpit Deus ſanctorum hominum penes ſe beatorum præſidio res humanas gubernare, quum antea Angelorum tantum vteretur miniſterio, nunc hominum vti voluit, ſiquidem naturam noſtram ablutam Chriſti ſanguine receperat in gratiam, & congruum videtur hominibus etiam per eos, qui eiuſdem participes fuerunt naturæ, auxiliari: hæc prius non erant; nam & illi inuiſum erat genus noſtrum delicto primi parentis, & nemo de inferorum lacu, vbi fuerat demerſus, erumpebat; eos vectes ferrei, quos illuc deſcendens perfregit Chriſtus, retinebant, nec exire patiebantur. Patere nunc (et ſi alienum ab inſtituto ſit) vt errorem quorundam damnem, qui negant nos orationibus ſanctorum in cœlo reſidentium iuuari. Omnino longiori opus eſſet diſputatione. Veruntamen vides mortuos reſurgentes cũ Chriſto veniſſe in ſanctam ciuitatem, & in conſpectum uenientes multorum eos (ut par erat) de Chriſto docuiſſe: non enim uana fuit illa apparitio, ſicuti fuiſſet, ſi ob id tantum ueniſſent, & cernerentur. Quod ſi docere poſſunt. Cur nõ etiam orare dominum? Et preces fundere, ut adiuuet nos multis undique miſeriis & calamitatibus circunuentos? An quia docere minus difficilè ſit, quàm rogare? aut magis laborioſum ſit rogare? Non eſt hoc, quid ergo aliud? Num uel quia difficiles & importuni ſint additus ad dominum? uel quia cum fero & immitti tyranno res futura ſit, qui ſupplices non audiat? uel cum auaro, vel inuido qui uix quicquã concedere ſoleat? Si nihil eſt horum, cur nolint pro nobis rogare: non enim ſtudium noſtri & charitatem, quam uiuentes habuerant, poſuiſſe unà cum corpore credibile ſit, idque in cœlis iam exiſtentes, ubi maximè uiget charitas, & maxima charitatis ſunt præmia. At obſcura ſunt hæc, obſcura quidem ei, qui aſpidis in morem obturat aures, nec intelligere uult canentem. Sed tamen, ſi teſtimonium quæritur manifeſtius ſcripturarum, legant capitulum Apocalypſis ſextum: vbi dicitur. Vidi animas ſub altari interfectorum propter uerbum Dei, & clamabant uoce magna dicentes. Vſque quo Dominus ſanctus & uerus nõ iudicas, & uendicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra. Ergo animæ illę ſanctæ, atque benedictæ petent maleficia in Deum, & ſe admiſſa plecti? Beneficia autem & auxilia nulla humano generi, & ſingulis effundi non optabunt? & optantes non rogabunt? Imò tanto ſtudioſius hæc rogabunt, quãto rectius eſt bonos tueri, quàm malos ulciſci. Quod ſi hunc de Apocalypſi locum interpretari uolemus, quemadmodum Auguſtinus interpretatur, animas Sanctorum

ctorum petere, non ultionem peccantium, ſed peccati, quia uelint id tolli, quo regnante talia perpeſsi ſunt, manifeſtum eſt illos de ſalute noſtra ſollicitos, & adeò ſollicitos, vt eam non ſolum petant, ſed etiam cum magno & ualido clamore petant. Scio me aberrare à propoſito. Verumtamen, quia locus Euangelii, qui tractabatur, admonuit: prætereundum non putaui, quin contra iſtos aliquid dicerem. E V S. Grata mihi fuit hæc tua digreſsio, non quod dubitarem de his, quæ tradita ſunt à maioribus, & eccleſiæ uniuerſæ amplectitur auctoritas, ſed quòd gaudeo firmis ſcripturarum teſtimoniis eandem ſententiam confirmari. Reſtat tibi nunc illud miraculum (vt omnia ſint abſoluta) de latere Chriſti mortui percuſſo. M A R. Mane modo, dubius ſum. E V S. Quid eſt? M A R. Neſcio an rectè fecero, ſi his tam ſacris ſermonibus, & tam uenerabili die poëtas miſcuero: & poëtica carmina intulero. E V S. Poſſe id fieri rectè & ordine arbitror: modò id fiat ſobriè: & ne poëtis plus, quàm oporteat, tribuatur. Memini namque Apoſtolum Paulum Græcorum poëtarum uerſiculos epiſtolis ſuis intexuiſſe. M A R. Putas ne me oblitum licere poëtis mendacia fingere? Itaque eorum poëmata non vt hiſtoriam lego, ſed vt picturam quandam percurro oculis imitatricem ueri, numeris cantuq. aures mulcentem: non tamen negauerim, graues ſuauesq. ſententias penes eos inueniri: ueritatem etiam rerum geſtarum uideo ſæpius eos efferre. Tu autem conſiderabis, vt ſoles, diligenter: num, quæ deſumam ex ſummo poëta noſtro, uera ſint aut ficta poëtarum more ueri inanem tantum quandam referentia imaginem. E V S. Conabor pro uiribus id facere, præſertim quum à ſummo poëta noſtro ea afferre te dicas. Nam ſummi poëtæ nomine Virgilium intelligo, cuius vt inter poëtas excellit auctoritas. M A R. Rectè de Virgilio opinaris, qui neſcio quomodo paria ferè prodigia facta ponit in morte Cæſaris, quæ Euangelium memorat facta in morte Chriſti. E V S. Magnum dicis. M A R. Non ſunt omnino paria, ſed ad ſimilitudinem quandam uidentur accedere: Sic enim inſpice. Primum prodigium, quod memoratur in Chriſti morte contigiſſe, Solis eſt defectio: hæc etiam obtigit in Cæſaris morte, quod oſtendit poëta, dum prius de Sole loquens ſubintulit.

*Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam*
*Quum caput obſcura nitidum ferrugine texit,*
*Impiaq. æternam timuerunt ſecula noctem.*

Alterum eſt conſciſſum ueli templum: huic reſpondet illud Vergilianum.

*Et mæſtum illacrymat templis ebur, æraq. ſudant.*

Tertium, quò terra mota eſt, ne hoc quidem tum defuit, vt illud indicat.

*Et inſolitis tremuerunt motibus Alpes.*

Quartum, reſurgentium apparitio mortuorum multorum, & ad multos. Iſtinc quoque dicitur. *Et ſimulacra modis pallentia miris*
*Viſa ſub obſcurum noctis.*

Quid tibi nunc uidetur? non intendo nunc comparare prodigia, & uelut æqua in lance appendere, quin negauerit nemo, quin altiora ſint, & grauiora, quæ ob mortem Chriſti obtigerunt: attamen eiuſdem generis eſſe uidentur. E V S. Miror, quòd non de multis aliis prodigiis mentionem feceris, vt de luporum ululatibus per urbes, de puteorum cruore, de fluminum inundatione, & cæteris quàm multis, quæ illic enumerantur à poëta. Sunt enim vnum & uiginti prodigia, ſi numerum rectè recolo. M A R. Ego tantum ea delegi, quæ ſimilitudinis partem uidentur attingere cum his, quæ in Euangelio memorantur. E V S. Et tu omnia illa credis? ac non potius à poëta ficta: & undique decerpta, vt magis legentium animos multitudine prodigiorum teneret. Illa enim mora in tot prodigiorum enumeratione perfundit animos ea uoluptate, qua noua & inſolita audiuntur: nec omnino mirum in hoc genere luctus, qui defunctis deberi exiſtimatur, multa effingere poëtas tum antecedentia mortem, tum ſubſequentia, quo miſerabiliorem facerent lamentationem, quum rebus non ratione tantum, ſed anima etiam carentibus tribuant fletum. Vt illud eiuſdem poëtæ in Daphnide.

*Daphni tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones*
*Interitum, monteſq́ feri, ſyluæq́ loquuntur.* Et Alibi,
*Te nemus Anguitiæ, vitrea te Fucinus vnda,*
*Te liquidi fleuere lacus.* Et in funere Palantis.
*Poſt bellator equus poſitis inſignibus Aethon*
*It lachrymans, guttiſq́ humectat grandibus ora.*

M A R. Ergo tu finxiſſe illa Virgilium exiſtimas, vt flebiliorem Cæſaris mortem redderet, aut ornatiorem? E V S. Maximè. M A R. Atqui Plutarchus in vita Cæſaris prodigia referens, quæ mortem eius anteceſſerunt, fulgores cœli narrat, & nocturnos ſtrepitus, & ſolitarias aues in forum delapſas, quæ ſuis carminibus poëta non intexuit: & quoniam de equorum fletu mentionem intuliſti ex poëtæ carminibus, addi poteſt de abſtinentia quadrupedum à cibo atque potu, de quo idem poëta meminit in Daphnide: nam hoc quoque inter prodigia refert Suetonius, quòd paucis ante Cæſaris mortem diebus compertum eſt equorum greges, quos in traiiciendo Rubicone conſecrarat, ac uagos ſine cuſtode dimiſerat, pertinaciſsimè pabulo abſtinuiſſe, ubertimque fleuiſſe, quod dicere uolui non omnino hoc impoſsibile eſſe, quòd poëtæ ueluti ludentes dixiſſe exiſtimantur: raro quidem accidere fateor: nam ſi frequenter, non prodigioſum id eſſet, ſed aut naturale, aut artificioſum: & vt alia omittam. Quid dicis de Solis defectione? num de ea quoque Virgilium exiſtimas mentitum? At Seruius grauiſsimus eius interpres ipſam aſſeuerat: Ait namque pridie iduum Martiarum (nam idibus Cæſar occiſus fuit) Solis fuiſſe defectum ab hora ſexta uſque ad noctem, quod quia multis protractum fuit horis ſubieciſſe Virgilium.

*Impiaq́ æternam ſperant ſibi ſecula noctem.*

Summa

Summa autem concluſionis meæ hæc eſt, propter quod hic ſermo omnis inſtitutus fuit, quòd ſi prodigia illa cõtigerunt in morte Cæſaris, ſi non omnia, at certè quædam, quæ hiſtoria refert: ſi hoc idem contingit in morte ſæpius clarorum & illuſtrium uirorum, Quid fieri oportuit in morte unigeniti Dei? qui aliquid plus homine habuit, atque adeò plus, vt Deus eſſet. Nonne grauiſsima & altiſsima extare prodigia debuerunt? quod etiam uerè factum eſt. Quid enim maius, & quod magis excedat uſitatũ naturæ curſum, quam deficere Solem in plenilunio, uniuerſam tremere terrã, reſurgere mortuos ad immortalitatem, & mortalibus ſe oſtendere? & de percuſſu corporis mortui exire ſanguinem & aquam? de quo antea nihil eſt dictum, ſed de eo mox dicetur. Cui autem hominum hæc unquam cõtigerunt? ſiue ad mortem eius luctu honeſtandam, ſeu gloriam decorandam. Leuiora ſunt, quæ cæteris contigerunt, ſi tamen contigerunt: pleraque enim facta ſunt, vt tu rectè opinaris: plura etiam naturali ratione fiunt, quæ portenti loco habentur: quod non ſæpius fiant defectu concurrentium cauſarum, & ea in mortem clari alicuius & potentis, uiri, ubi tempus conuenit, ſuperſtitio hominum confert, ſicut defectionem Solis, quæ facta perhibetur pridie iduum Martiarum, trahunt homines ad Cæſaris mortem, quæ poſtridiè fuit, quam futuram arbitror, ſi tunc uiuere licuiſſet: non enim aduerſa naturæ ratione fertur Lunam in Solem incidiſſe, niſi quod occultatio Solis longior fuit, quod accidere potuit regulari horum ſyderũ curſu. Quapropter nec Plutarchus, nec Suetonius, qui perſequuntur prodigia Cæſarianæ mortis, & Liuium uiderant eadem tractantem, huius defectus meminerunt putantes non eſſe habendum pro prodigio, quod ſingulis fere annis fieri conſueuit. Forſitan hæc prodigioſa oſtendunt futuri temporis calamitatem: nam illa multa, quæ collecta ſunt à Virgilio, non tam in Cæſaris mortem, quàm in bella ciuilia, quæ poſtmodum inſurrexere, & quibus afflicta eſt illa reſpublica, dicuntur: nam concludens ſermonem intulit.

*Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis*
*Romanas acies iterum videre Philippi.*

Et vt hæc habeant nõnullam dubitationem, quia non uidentur prodigiis denunciandæ calamitates, à quibus nullum ferè tempus immune extitit: ita vt natæ cum hominibus uideantur. Illud certum, quòd ultimum mundi diem ſigna præcurrent, & quidem egregia & manifeſta, de quibus Saluator in Euangelio. Erunt ſigna in Sole & Luna, & ſtellis & in terris preſſura gentium & reliqua, quæ ſequuntur. Sed neſcio quomodo in hæc prodigia delapſa eſt oratio, vt forſitan prodigii loco tibi ſit me extra rem protuliſſe. EVS. Nequaquam. Imò te commodiſsimè loquutum fuiſſe arbitror. MAR. Mihi tamen non ita commodè loquutus uideor, quantum ad uocabula attinet duntaxat: nam prodigia ueteres nuncupabant ea, quæ fierent præter conſuetum naturæ modum aliquid prædicendi gratia: unde etiam nomen prodigii

fuit dictum, eadem etiam portenta vocabant, quaſi aliquid portenderent. Similiter oſtenta vocabantur, quaſi oſtenderent, & monſtra quaſi monſtrarent in poſterum aliquid vel triſte vel iucundum. Hinc augurum, aruſpicum & cæterorum diuinorum, qui talia interpretarentur, & expiarent, magna apud omnes gentes nomen in gloria. At ea, quæ moriente Chriſto, & eo iam mortuo acciderunt, quia facta ſunt in rem præſentem, nõ vt futurum aliquid denunciarent, verius miracula dicentur, niſi aliter ſentias, & melius quid afferas. E V S. Ego verò non aliter, ſed vltimum tibi iam reſtat miraculum, ſi hoc iam verbo vtendum eſt. M A R. Nempè illud dicis, quòd mortuo iam Chriſto non fregerunt eius crura, ut duorum fecerant latronum, quos uiuere adhuc compererant: ſed unus militum lancea latus eius aperuit: & continuò exiuit ſanguis & aqua. Vide pertinaciam in odio Iudæorum: uoluerunt corpori etiam exanimi inferre contumeliam, ſed ex illo uulnere non contumelia, ſed miraculũ exiit inſigne: nam de corpore extincto ſanguinem exire miraculum eſt, & multo magis aquam. Non poſſum hunc locum acutius & elegãtius interpretari, quàm Auguſtinus, cuius hæc ſunt uerba. Vigilãti uerbo Euangeliſta uſus eſt, ut non diceret, latus eius percuſſit, aut uulnerauit, ſed aperuit, ut illic quodammodo uitæ oſtium panderetur: unde ſacramenta eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad uitam, quæ uerè uita eſt, non intratur. Vnde ſequitur, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Ille ſanguis in remiſſionem peccatorum fuſus eſt: aqua illa ſalutare temperat poculum, hoc & lauacrum præſtat & potum. Hoc prænunciabat quod Noe in latere arcæ oſtiũ facere iuſſus eſt, quo intrarent animalia, quæ nõ erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur eccleſia. Propter hoc prima mulier facta eſt de uiri latere dormientis, & hic ſecundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, ut ei formaretur coniux per id, quod ab latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reuiuiſcunt. Quid iſto ſanguine mundius? Quid iſto uulnere ſalubrius? Aſpicis ne, quam breuiter & dilucidè diuus Auguſtinus explicarit quibus imaginibus ueteris legis uulnus Chriſti fuerit adumbratum, & quòd non uulnus illud fuerit, ſed oſtium magis, de quo ſacramenta ſalutis noſtræ exierunt, uel ſi uulnus illud fuit, quale id uulnus, quod ſanat cæteros, & remedium effundit iam uulneratis? Nam & redemptionem noſtram effundit in ſanguine, & in aqua: ſalutare lauacrum regenerationis. Quicunque autem ægre ferunt in ſacris uino aquam miſceri, hi (ut ait Theophilus) non credunt de Chriſti latere ſanguinem aquamque fluxiſſe. E V S. Poſtquam properantem te uideo ad exitum, & adhuc in ſermone crucis ſumus, nõ alienum puto te de titulo crucis aliquid tractare: ea enim, quæ in ſummis uiris ſunt minima, habentur ut maxima, quanto magis id in Chriſto dicendum, qui nec temere quicquam fecit, nec ei contingit, ſed omnia plena ſunt myſteriorum. M A R. Titulus, quem requiris, ſupra caput I E S V in cruce poſitus fuit iſte. IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM,

ſcriptus

ſcriptus Græcis, Latinis, Hebraicis literis, ut harum linguarum compotes, qui illic uerſabantur, Græci, Romani, Hebræi (nullum enim aliud hominum genus frequens erat Hieroſolymis) intelligerent cauſam crucifixionis. Accuſauerant Iudæorum primores Chriſtum, quòd regem ſe faceret, hoc vno crimine maximè urgebãt, quam criminationem ſecutus Pilatus hanc inſcripſit cruci. Hunc titulum, quum multi legiſſent Iudæorum, uidentur ægrè tuliſſe, quod nomen regiũ Chriſto fuiſſet tributum, ſeu quòd turpe uidebatur regem ſuum crucifixiſſe. Dixerunt ergo Pontifices: Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. At Pilatus negauit ſe corrumpere tituli inſcriptionem. Quod ſcripſi, (inquit) ſcripſi. Nunquam Chriſtus ſe regem inficiatus eſt, imò ſe regem profitebatur, ſed regnum eius non erat de hoc mundo, erat Rex uerus eorũ, qui ſequerentur ueritatem. Ipſe autem erat Veritas, erat rex poteſtate, ſed non uſu poteſtatis: arguitur affectati regni is, qui ne ſpeciem quidem ullam regis habebat. Vbi enim miniſtri? ubi longus comitantium ordo? Vbi cohors prætoria? ubi uis auri & argenti? ubi copiæ militares? Quæ oppida & caſtella pugnando cœpit? Quas arces munitiſsimas poſsidet? Quam manum ad uim faciendam comparauit? Quæ omnia ſunt apud eos, qui regna uel habent, uel affectant. Contra uerò ipſe pauper & humilis, & omnium rerum egenus circuibat ciuitates cum paucis, & tenuibus diſciplinæ ſectatoribus, prædicans pœnitentiam peccatorũm, & aduentum ſuum ad mundi ſalutem: uenerat enim (vt dicebat) non vt mundum iudicaret, ſed ſaluaret: non vt ſibi miniſtraretur, ſed vt aliis ipſe miniſtraret. Quum autem nota eſſet Pilato hominis paupertas & tenuitas: non credidit ille crimini tentatæ tyrannidis: attamen quum non inueniret in eo aliud crimine dignum, hanc accepit cauſam regni ſibi à Iudæis ſuggeſtum, quam cruci inſcriberet. Clamauerunt enim, Omnis, qui ſe regem facit, contradixit Cæſari. Sed quod inſcripſit Pilatus iniquè agens, id ille fixus in ligno agnouit: Verum enim erat, quod ſcripſerat: ideò ſpiritu ſuo ſacro commouit Pilatum, ne mutaret: Poteſtatem habebat regis (vt dixi) ſed ueluti uagina incluſam: tempus autem ueniet, quum gladium diſtringet, & rex regum à cunctis agnoſcetur gentibus: tunc ſcilicet, quum ſacris Angelis comitantibus, & ſanctorum choris obuiam euntibus ſedens in throno maieſtatis ſuæ orbem terrarum iudicabit, & bonos quidem ad præmia deducet, malos ad ſupplicia dimittet. Nunc apparet in cruce diſtentus non tantum ut ſacerdos immolans ſe ipſum hoſtiam immaculatam Deo Patri, ſed ut clemens etiam, & pius rex cupiens extenſis ulnis amplecti, uocans ad pœnitentiam, & oſtendens de uulneribus, quanti noſtra charitate teneatur, poſtulansque ſibi pro amore amorem rependi. Nunc tantum rex eſt Iudæorum, ſed eorum, qui Iudæi ſunt circũciſione cordis non carnis, ſpiritu non litera. Dictum eſt enim ab Apoſtolo, dum loqueretur gentibus. Si autem uos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis ſecundum promiſsionem hæredes. Credendum eſt autem diui-

nitus

nitus factam eſſe mentionem regni crucis tempore. Titulus hoc crucis indicat,& illud latronis. Memento mei domine, quum ueneris in regnum tuum. Et principes Sacerdotum regnum ei improperabant. Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Denique crebra ibi regni mentio, quod Chriſtus nunquam depoſuit, nec deponet: donec (vt dicam cum Apoſtolo) tradiderit in ipſo fine regnum Deo, & Patri, & euacuauerit omnem principatum,& poteſtatem,& uirtutem. Oportet autem (inquit) eum regnarè, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſsima autem deſtruetur mors. Non parua diſpenſatione putat Chryſoſtomus factum, vt titulus hic cruci inderetur. Quum enim defoſſum eſſet crucis lignum, & primis illis temporibus fideles de eo nullam curam haberent, ut pote, qui timerent, & aliis uacarent, contigit, vt poſtmodum Conſtantino imperante melioribus Eccleſiæ temporibus diligenter perquireretur: & quum tres cruces inuentæ fuiſſent, titulus crucis ad hoc ualuit, vt facilè, quæ Chriſti fuiſſet, agnoſceretur: nam duæ latronum cruces titulum non habebant: uel ſi habuiſſent, quia alia cauſa Chriſti erat, alia latronum, diuerſo titulo annotatæ fuiſſent. Sed iam tempus eſt abire,& ſacris intereſſe: reliqua, ſi qua erunt, poſt meridiem proſequemur.

# MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PASSIONE DOMINI LIBER SEPTIMVS.

## EVSEBIVS.

QVONIAM iam meridies effluxit, uolui ad te properare, vt reliquo ſermoni, quem de Paſsione Domini inſtituimus, operam demus: nam ita te obtuliſti poſt meridiem facturum:& ſimul nihil mihi eſt optatius, quàm vt hic dies, à quo incœpit, in eo deſinat, id eſt, ut tam ſacris ſermonibus, à quibus inchoauit, claudatur. MAR. Video te ex conuento mecum agere: itaque non ſubtraho operam. Sed qua de re colloquemur? De Paſsione Domini inquis, ſcio te id dicere. Ego autem illud quæro, quam eius particulam attingemus? Multa quidem decurſa ſunt ante meridiano ſermone, non tamen negauerim multa adiici poſſe: Quod ſi nihil occurrat noui, poſſumus id, quod maximè pertinet ad inflammandam pietatem animorum noſtrorum: mirari illud immenſum pelagus diuinæ charitatis, cui nihil æquiparabile eſt. Enimuero, quoniam impoſsibile eſt diuinæ naturæ dolorem aliquem perpeti. Videns id Deus & cupiens redimi humanum genus à

peccato, quod origini fuerat impreſſum, & ueluti hæreditarium in poſteros profluxerat, nec id ſine pœna congruenter effici poſſe. Quid fecit? Inuenit rationem, qua ipſe quodammodo pateretur: ſicut poterat: nam diuinæ ſuæ naturæ humanam noſtram adiunxit, atque ita uno aſtrinxit nodo, ut inſeparabilis eſſet unio. Ita ut perſpiciens quis IESVM in ligno pendentem dicere iure queat Deum in cruce pendere, & paſſum, qua uidemus: hocque ideò factum, ut immenſitatem amoris ſui erga nos demonſtraret, cum ex coniunctione utriuſque naturæ, tum quòd in homine aſſumpto, qui unus erat cum eo, pœnam alieni ſceleris luit, & quæ non rapuit exoluit. Non alteri demandare, ſed ipſe ſuum hoc munus facere uoluit, ipſe ad rem gerendam acceſsit, ſeu filium eius miſit, qui Deus eſt. Non enim tres dii, ſed unus Deus. Quod ſi alteri huiuſmodi negotium delegaſſet, primò amoris minus erga genus noſtrum oſtendiſſet, deinde etſi redemptionis gratia multum Deo deberemus, non tamen omne. Nam ſiue Angelus, ſiue homo eſſet ille, qui redemiſſet, ei nonnihil deberemus, qui titulum Redemptoris ferret, & noſtri cauſa laboraſſet, & gemitus ſuos atque dolores redemptionem noſtram feciſſet. Nunc uero uoluit Deus hoc redemptionis munus ſibi ſoli deberi nemine in partem uocato, ſicut ſolus fecerat hominem, ita ſolus reficere uoluit, idem uoluit eſſe Redemptor, qui conditor fuerat, præſertim quum non ſit minor gloria reficientis, quàm facientis, imò plus eſt hominem bonum & beatum efficere, quàm hominem tantum creare, qua in re prælati Angelis ſumus: non enim angelicam naturam (ut Paulus inquit) apprehendit, ſed noſtram; nec angelicum peccatum, ſed noſtrum redemit. Etenim illorum cœleſtium ſpirituum maior fuit ſuperbia & contumacia, quo validius intelligebant, & minorem habebant peccandi anſam: quapropter tanto eorum culpa grauior, quanto natura ſublimior: & tanto grauior eorum caſus, quanto dignitas excelſior. Figmentum autem hominis fragile è terra limoque effictum: ideo facilè mulieris impulſu cecidit, & confractum fuit, & miſeratione aliqua lapſus ille dignus eſt habitus, præſertim quum ad poſteritatem tranſiret, quæ alieni peccati rea tenebatur. Angelus autem non alieno ſed proprio crimine ceciderat. Præterea non habuit angelus tentatorem, ſicut ſerpentem homo: itaque qui per alium cecidit, iuſtius per alium potuit ſubleuari. Ille ſceleris ſui inuentor fuit, homo alterius fraude deceptus, & deceptis facilius ſubuenitur, quàm his, qui à ſeipſis ſceleratè mouentur. Adde, quòd angelica natura non ex toto perierat, ſed pars maior ſalua remanſerat: humana autem natura tota perierat, niſi ſubuentum fuiſſet: vnde ſubuenit creator, vt etiam ex humano genere angelicam ruinam repararet: nam promiſsionem habemus, quòd Angelis æquales erimus: quod oſtendit nos eſſe ſuffectos pro his, qui ceciderant: ne ſuprema illa ciuitas debito ciuium ſuorum numero fraudaretur. Hinc Apoſtolus inquit ad Epheſios ſcribens inſtaurari in Chriſto omnia, & quæ in cælis & quæ in terra ſunt, innuens angelicam ruinam in cœ-

leſtibus eſſe ex humano genere, quod Chriſtus redemit, inſtaurandam. Sed & illa potiſsima fuit cauſa nō reſtituendæ angelicæ naturæ, quòd angeli prævaricatores obſtinatius in crimine manſerunt, non ſic primi parentes, quos poſt admiſſum facinus, ubi cognouiſſent ſe nudos, pœnitentia cœpit admiſsi, & puduit nuditatis: nam foliis fici conſutis fecerunt ſibi perizomata, & abſconderunt ſe à facie venientis Dei, & excuſatione qualicunque ſe tegere voluerunt. Non enim negarunt peccatum, ſed excuſarunt. Negantis enim durior eſt conditio, quia nec venia debetur ſicut nec ignotum eſt Chaim eius filio, qui poſt necem illatam fratri interrogante Deo, vbi Abel eſſet frater eius, non modo parricidium voluit confiteri, ſed nimis petulanter etiam reſpondit. Neſcio: Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? angelis verò non magis ignoſci potuit, quàm Chaim: nam nec pœnitentia eos cœpit de crimine: Si enim cœpiſſet, non vtique princeps eorum diabolus inuidia commotus tentaſſet in ſerpentis ſpecie alios ab ea beatitudine auertere, quam ipſe perdidiſſet. Hæc à Theologis noſtris tradūtur, & ſuperioribus in ſermonibus noſtris quadam ex parte memorata ſunt, quæ nunc iuuit proferre: atque adeò repetere, ne deſit copia his de rebus colloquendi, quæ & ſalutis & pietatis noſtræ ſunt robur & firmamentum: horum recordari cū omni tempore debemus, tum vt etiam atque etiam nunc faciamus: dies hic ſacer huic rei addictus admonet. E V S. O quàm grauiter, & quàm veraciter mi Marce dixiſti. MAR. Ita eſt. Nihil horum queo diffingere, imo ne refingere quidem. Illud adiici potuit, quàm ſuauiter deceperit diabolum Deus, ut non intelligeret redemptionis negotium agi: addubitabat tamen metuens tyrannidi. Deus enim hominem induerat occultata multis in partibus diuinitate: humanus ueſtitus eum fallebat, non poterat perſpicere illic latentem Deum. Nunquam diabolus (ut ſacri perhibent doctores) paſſus eſſet Chriſtum occidi, ſi Deum pariter eſſe cognouiſſet. Sed Chriſtus celans formam Dei formam ſerui obiecit, ut occideretur pro redemptione totius gentis. Simile factum Codri, neſcio, ſi meminiſti. Is Codrus rex Athenarū, quum orto bello inter Laconas & Athenienſes reſpondiſſet oraculū utrius ciuitatis rex in prælio cecidiſſet eum populum uictorem fore. Ipſe famulari ueſte aſſumpta, ne agnoſceretur, hoſtium ſe telis obiecit, à quibus interfectus uincentes ſuos reliquit, & fecit locum oraculo: nouum certè & inauditum facinus: nam reges multorum interitu ſolent uincere, at tunc regis interitu multitudo uicit. Similiter unigenitum Dei Verbum forma ſerui arrepta, qua diuinitatem occultabat, in teterrimum acerbiſsimumq. cruciatum ſe dedit, quo facto dæmones ignaros, quid ageretur, impio de regno excuſsit, & qui nos cœperant, cœpit: ut inde ad patriā cœleſtem, unde egreſsi, uictores remigrare poſsimus. E V S. Quid ergo? Tu dæmones ignoraſſe putas I E S V M fuiſſe unigenitum Dei filium non adoptione ut multi, ſed natura ut nemo. M A R. Dixi antea dubitaſſe: quicunque adhuc dubitat, uerſatur in inquiſitione: tegitur igitur adhuc

ignorantiæ

ignorantiæ tenebris, quum nondum plena ueritatis luce fruatur. Videbat Diabolus in eo hominis eſſe formam,& in cibo & potu: uigilia & ſomno: motu & quiete à cæteris hominibus non differre, affectus etiam humanos ſuſcipere,fletum,miſericordiam,lenitatem,admirationem,mœrorem,timorem, dolorem, & iuſtam ſæpè iracundiam, corpus gerere non planè inuiolabile, ſed quòd frigori & æſtui obnoxium eſſet,& quod uulnerari,percutique manu poſsit: maximè autem,ut inſtante paſsione uidit eum terrore mortis perterritum, potuit confidere tamquam in eo nihil plus uulgari homine eſſet. Rurſus ex altera parte audierat Chriſtum natum eſſe Angelis prædicātibus, paſtoribus referentibus, Magis quærentibus, & Ioanne oſtendente. Necnon ſuſpicioſum eum reddebant crebra & ingentia miracula propria ab eo uirtute patrata, ſublimitas doctrinæ, uitæ ſanctitas,& quod ſe filium Dei prædicabat: his adductus nutantem fluctuantemque habebat ſententiam: hinc illa uox tentationis. Si filius Dei es, dic ut lapides iſti fiant panes, & rurſus. Si filius Dei es,mitte te deorſum: & in hac ipſa paſsione conatus eſt per uxorem Pilati eum à morte eripere.Credo, quo ingenii eſt captu, Sciſſe redimendū eſſe humanum genus,ſed modum & tempus ignoraſſe:occulta erant prophetarum dicta hinc & illinc diſperſa, imagines etiam obſcuræ, quæ omnia poſt Chriſti aduentum & rem geſtam clarius perſpici cognoſciq. cœperunt: non enim Chriſtus uenerat,ut legem ſolueret,ſed impleret.Itaque mihi rectè dixiſſe uideor unigenitum Dei verbum ſimile quid Codro feciſſe,qui ſeruilem induit ueſtem, vt non agnitus ab hoſtibus necaretur, atque ita morte ſua uictoriam ſuis ciuibus pararet.Sic ipſe Dei filius,ſi parua licet componere magnis, forma Dei occultata ſeruilem obiecit diabolo, quam ille cunctanter quidem, ſed tamen per Iudam & Iudæos diripiendam putauit, ex quo factum eſt,ut nobis immenſa gloria,& æternus triumphus in patria pararetur. ipſe autem diabolus caderet à regno ſuo, ideſt, idololatria, quā in omnibus ferè gentibus obtinebat. Non inficior tamen,quin aliquando dæmones eum eſſe Dei filium clamarent, ueluti quum demoniacos illos duos liberare uellet in finibus Geraſenorum ab his dæmonibus, quorum nomen erat legio propter multitudinem dæmonum,quæ illic inſederat, clamabunt illi dicentes.Quid nobis & tibi fili Dei: uenisti huc ante tempus torquere nos, ſed intelligendum eſt id dixiſſe ex ſuſpicione potius, quàm cognitione: præſentia autem Saluatoris miracula facientis eos acriter torquebat, à qua cupiebant ſe liberari, nec poterant ferre, quòd eos de humanis corporibus excuteret, alibi apud Lucam legitur, quod exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia. Quia tu es filius Dei,& increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant eum eſſe CHRISTVM. Idem teſtatur Marcus. Hoc, quod dæmones dicuntur ſciſſe, non ita accipiendum eſt, quòd plenam habuerint ſcientiam, ſed imperfectam tantum,quæ eos adduceret ad ſuſpicionem,qui eſt primus fidei gradus non amouens dubitationem: ſuſpicabantur autem dæmones ex

magnitudine & potentia ſignorum ipſum eſſe CHRISTVM Dei filium hominibus id negantibus: nam Iudæi hanc cauſam ad eum interficiendum habuerunt. Mortuo autem Chriſto quis poſsit ſufficienter exponere quàm ualdè dæmonum potentia cõfracta ſit? Porphyrius hoſtis religionis noſtræ acerrimus fatetur à morte IESV Chriſti nulla amplius potuiſſe fundi à dæmonibus oracula, quod etiam accidiſſe teſtatur Plutarchus, qui cõqueritur ſuo ſeculo uix duo oracula ſupereſſe, quum antea undique obſtreperent, & multiuoca (vt inquit idem) eſſent. Tantum autem poterat Chriſti religio ad frangendam dæmonum uim, ut ſi fortè Chriſtiani quidam in templis eorum adeſſent, uel ibi propè ſepulcra martyrum erecta fuiſſent, negarent reſponſa petentibus, quòd dicerent ſe Chriſtianorum ſuperſtitione impediri, & ea impedimenta tolli iuberent. Nec id latuit Apoſtolum Paulum (Quid enim altitudo illa ſapientiæ non uideret?) qui Chriſtum aſſerit de dæmonibus triumphum egiſſe: nam loquens de Chriſto ad Coloſſenſes his utitur uerbis. Donans uobis omnia delicta, delens, quod aduerſus nos erat, chirographum decreti, quod contrarium erat nobis, & ipſum tulit de medio, affigens cruci ſuæ: & expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo. EVS. Elegantem ſimilitudinem propoſuiſti hanc de Codro. MAR. Elegantem quidem ad id, quod propoſui, ſi ita iudicas, ſed non per omnia conuenit ſimilitudo. Codrus rex, duo Decii Imperatores, multique alii ſummi duces pro ciuibus ſuis, pro patria occubuerunt. Sed tamen conſidera, ut ſoles, quid poteſt eſſe tam magnũ, ſi ciuium ſuorum cauſa regem, ſi militũ Imperatorem: Quid ſi etiã in ſeruorũ gratiam dominum cecidiſſe dicamus? Illi quidem, & ſi differunt ab aliis auctoritate & poteſtate, tamen rationis & corporis habitu eiuſdem ſunt generis: nõ enim alia hominis diffinitio conuenit hominibus ſuperioribus, alia inferioribus. Sed eadem diffinitio utroſque complectitur. Nunc autem non eum, qui purus eſſet homo conditionis noſtræ, ſed eum, qui pariter erat Deus, uidemus pro nobis uitam prodegiſſe. Itaque claudicant hæc exempla, nec æquali gradu ingrediuntur. An non etiam ita tu iudicas? EVS. Iudico equidem, ſed uide tamen, ſi ſimilitudinem aliam uel exemplum inuenire potes, quod propius accedat. MAR. Quid reperiam? uideor ad extremum ueniſſe, nam hominem quamuis ſummæ dignitatis occumbere pro infimorum hominum ſalute non poteſt eſſe tam magnum, quàm immortalem Deum mortalium cauſa mortalem fieri, & morti ſuccumbere uoluiſſe, & eum, qui inuulnerabilis fuerat, vt uulneratos ſanaret, uulnerabilem ſe feciſſe, & ſummis cruciatibus ſuppliciisq. ſe ipſum obtuliſſe, quæ etiam tulit, & laturum ſciebat. Hæc tanta ſunt, vt non uideantur, niſi Dei charitati conuenire, quæ immenſitati ſuæ par eſt. Itaque inferius omne exemplum, inferior omnis ſimilitudo: nec tamen aliud habeo, quod magis rem exprimat. EVS. At nec ego peto, ſi non habes. MAR. Lucraris operam: nam ſuperfluus eſt, qui inanem excutit lagænam.

gænam. Sed quid eſt hoc? E V S. Quid? M A R. Mane, noli properare, ſubducet mihi, neſcio quid. E V S. Vtinam. M A R. Ex Euangelii ſermonibus. E V S. Qui nam hi? M A R. Quibus quis ueriores expectabit? E V S. Nemo. M A R. Meminiſti illud Chriſti? E V S. Si dixeris. M A R. Ego ſum bonus paſtor: Bonus autem paſtor dat animã pro ouibus ſuis. Mercenarius autem, qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ: uidet lupum uenientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & ad eum non pertinet de ouibus. Ex his ſermonibus fingo mihi illud ſimulacrum paſtoris cuiuſdam boni, qui animã ſuam pro tutela & ſalute ouium ſuarum ponit, non qui mercenarii more uiſo lupo fugiens derelinquit. Pono igitur Chriſtum paſtorem illum eſſe bonum, qui, ne iugulet oues lupus, ipſe potius decumbit. Nam homines, ſi ſummo illi rerum conditori & præſidi Deo comparemur, non ſubſiſtimus, ac ne participes quidem rationis uidemur, ſed ueluti quædam pecuaria oberrantia, quæ uirga ille immenſæ prouidentiæ ſuæ dirigat, atque depellat. Vt enim flammula ante candentiſsimum Solis fulgorem non micat igne ſuo, ſed tenebras potius iacit, & tigridi currenti, & cœlo incredibili celeritate ſeſe uoluenti teſtudo gradiens collata immobilis diceretur. Sic ſi quis tali ordine librare ſe uelit ad diuinam ſapientiam, ſupremumque illud Dei uerbum, per quod facta ſunt omnia, qualiſcunque ſit eruditionis homo & quantæuis facundiæ, multo amplius, quàm apud nos pecudes, ipſe apud Deum mutum & inſipiens & irrationabile animal agnoſcetur. E V S. Vis (vt opinor) dicere, quòd unigenitus Dei filius perſonam gerit illius egregii paſtoris (ſi ſimulacrum hoc placet) qui, vt oues ſaluæ ſint, & læta nanciſcantur pabula, defendit pro uiribus, & ſi id accidat, uitam profundit: haud ſcio tamen, an ullo unquam in tempore talis fuerit paſtor inuentus: nam homines, quæ poſsident, omnia ſalute ſua poſteriora ducunt, neque pro illis uitam, ſed pro uita illa abiiciunt. M A R. Ego uerò exiſtimo inueniri paſtores, vt ſermo Saluatoris ſonat, qui pro ouibus aduerſus lupos & latrones dimicarunt, & uitam profuderunt, ne abducerent, uel interimerent. Poſſemque tibi commemorare colonos quoſdam uicinos meos id feciſſe, graue eſt enim rebus propriis & ad ſe pertinentibus expoliari. Veruntamen id, quod tu negas ullo in tempore factum fuiſſe, fecit unigenitus Dei filius, qui, vt uilem ſuam creaturam redimeret, (uile eſt enim quicquid confertur Deo) nec nos aliud ad illam ſapientiam comparati, quàm ouiculæ, aut etiam minus ſumus, multis ante toleratis uitam proiecit: quamquam nondum ſimulacrum illud paſtoris omnibus ſuis lineamentis deductis ſit formatum, quale oportuit formari, vt Chriſto aptius conuenire poſsit. E V S. Quin igitur formas? M A R. Finge igitur animo, (nihil eſt enim, quòd animus cogitatione ſua non poſsit effingere) eſſe paſtorem quendam multarum ouium dominum, & oraculũ redditum oues illas ita demum ſaluas & pingues, ſi paſtor mente hominis retenta faciem

ta faciem

ra faciem ouis aſſumpſerit,& animam ſuam proiecerit,& effuderit, ipſum au tem paſtorem amore ouium captum ex oraculo faciem ſibi ouis adiunxiſſe (nam id quoque fingamus fieri potuiſſe) atque ita ſe luporum morſibus lacerandum diſtrahendumque præbuiſſe pro uita & pinguedine ouium: quantum hunc ouium amore concitatum dices? an leui ſcilicet? E V S. Monſtroſum quippiam mihi narras. M A R. Rurſus tibi idem repono: quod id, quod tibi monſtroſum, ideſt, admirabile uidetur, filius Dei impleuit. Is enim eſt, qui quum in forma Dei eſſet, nec rapinã arbitraretur æqualem ſe eſſe Deo: exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo: & poſtquam hominum habitum ſuſcepit, vt eos ab hoſtibus captos & poſſeſſos redimeret, & ſeruaret,& ad cœleſtia pabula deduceret, conculcãdum ſe & lacerandum incurſibus Iudæorum tamquam luporum ultro dedit, atque ita locum fecit prophetarum oraculis, quæ de eo ſcripta erant, vt ſi paſtor ueluti agnus ad occiſionem duceretur, totus grex ſaluus fieret,& abundaret. Vt cætera mittam. Nonne Eſaias prædixit notiſsimo ſuo oraculo? Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & tamquam agnus coram ſe tondente obmuteſcet, & non aperiet os ſuum: intulerat paulo ſuperius cauſam. Omnes (inquit) nos quaſi oues errauimus, unuſquiſque in uiam ſuam declinauit,& poſuit dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Ille igitur vt ouis oues ſuas liberauit. Non recuſauit filius Dei facere, quod tibi in homine paſtore monſtrum uidebatur, vt unus e grege noſtro factus affligeretur, atque ita affligeretur, vt nulla in eo eſſet ſpecies, neque decor, ne totus grex periret, ſed uitam haberent,& abundantius haberent. O inimitabilem diuinæ charitatis flãmam, ad quam ubi ſancti uiri talibus meditationibus inſiſtentes animum applicuerunt, illorum corda inſtar niuium Sole ictarum liqueſcunt: miſeratio illos afficit multiplicium pœnarum tam humiliter ſuſceptarum, tam indignè illatarum: iuuat pio indulgere dolori, totam uitam effluere in lacrymas cupiunt, quinetiam (ſi qua facultas detur) eadem cruce commori Chriſto uellent, qua tamen in re eſt, quòd gaudeamus, quoniam plurimi eccleſiæ alumni ſpecioſiſsima Chriſti membra pro illius nomine acerbiſsima ſupplicia ſtudioſè deuotèque tolerarunt, tametſi hi duo pulcherrimi humilitatis & patientiæ uniones in capite ipſo clarius atque gratius refulgent. E V S. Vera dicis infinitos extitiſſe martyres, qui duriſsima quæque ſupplicia non ſtudioſè modo, vt dicebas, ſed cupidè potius & ardenter appetiuerunt,& illata gratanter pertulerunt: quo magis miror Chriſtum, quum ſe iturum ad ſupplicia nouiſſet, adeò expauiſſe, vt ſanguineum etiam ſudorem emiſerit,& ſæpius orauerit, vt ab eo tranſiret, ſi poſsibile eſt calix iſte. Enimuero ſi tali tempore quæritur fortitudo, turpe eſt milites audacter in prælium ruere, ipſum imperatorem formidare: ſin autem ſapientia, incongruum eſt diſcipulos ſapere, magiſtrum titubare. Denique quid minus audiri poteſt, quàm ſeruulos plus virtutis, quàm dominum habuiſſe? At quem dominum? qui nutu

cœlum

cœlum & mare temperat, qui legem elementis ſyderibusque imponit, cui ſuperna infernaque omnia famulantur. Quod ſi dicimus Chriſtum non extimuiſſe ſupplicia ſed mortem, nihil deformius. Paulus dicit, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et ipſe Chriſtus timore mortis percutitur? At non in horto modo hanc ille trepidationem paſſus, ſed palmarum quoque die, qui antea fuit à paſsione quintus, quum in mortis mentionem incidiſſet, eò erupit, vt diceret. Nunc anima mea turbata eſt, quo loco Auguſtinus (ſi rectè recolo) Quale (inquit) fundamentum quæro, Si petra ſuccumbit? Dixerat iam diſcipulis cum eo recumbentibus. Deſiderio deſideraui mãducare hoc Paſcha uobiſcum, antequàm patiar. Quomodo ergo, qui ſic deſiderat uidens iam urgere paſsionis diem, & adueniſſe tempus redimendæ humanæ ſalutis, poſtea hanc paſsionem deprecatur, &, ne fiat, quod deſiderabatur, detrectat? Hæc uerba exponens diuus Bernardus. Deſiderio deſideraui & cætera, neminem ait mortalium tam concupiſſe perpetuò uiuere, quàm Chriſtum uitam pro nobis effundere: & tamen, ubi ad rem uentum eſt trepidare uiſus eſt, & ne id fieret, optaſſe. Multo antea tempore, quum eſſet in partibus Cæſareæ Philippi, & cœpiſſet diſcipulis oſtendere, quòd oporteret ire Hieroſolymam, & multa à ſenioribus, & Scribis, & principibus Sacerdotum pati, & occidi, & tertia die reſurgere, Petrum abominantem, & deprecantem, ne id fieret, adeò reiecit, ut etiam Sathanam uocaret, qui ſcandalum eſſet ſibi, & neſciret, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ ſunt hominum. Ergo qui cõuenit Petrum detrectantem, ne iret in paſsionem, tam acriter reieciſſe. Ipſum eadem in horto facere, ubi mox in aciem progredi oportebat? non enim dices ipſum coram diſcipulis inanem fortitudinis gloriam quæſiuiſſe iactantem ea, quæ impleturus non eſſet. Quid? Nonne idem dixerat. Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam quis ponat pro amicis ſuis. Rurſus, quòd diligit eum Pater, quia non eſt mercenarius, ſed vt bonus paſtor ponit animam pro ouibus ſuis, vt tu nunc etiam memoraſti. Hæc uerba magnanimi ſunt uiri nihil timentis, oſtendentis ſe paratiſsimum ad omnia: iam non opus eſt uerbis ſed facto: quid ergo extimeſcit? quid contriſtatur? tamquam nouum aliquid & inopinatum contigiſſet, ſolent enim, quæ minus præuiſa ſunt, terrere uehementius. At ille is erat, qui ſciebat omnia, quæ ſuper eum uentura erant: ſciebat autem non ex coniectura aut opinione, ſed ipſo ueritatis intuitu. Cur rogat Patrem, vt effugiat inſtantia, ſi ideò diligit eum Pater, quòd ea pro ouibus ſuis paſſurus eſſet? Hoccine hortari eſt cæteros, vt imperterrito animo ſubeant, quæcunque homini contingere poſſunt, quum expectatione corporalium malorum tam ualdè afflictus ſit animo omnium ſalutis author, & in tantas uenit anguſtias, qui omnem magnitudinem adinuenit? Memento quæſo ſuperiorum ſermonum. Dixiſti enim uitam Chriſti minoris fuiſſe, niſi in aduerſis conſtantiam ſermonis & ſilentii tenuiſſet, niſi illata ſupplicia æquanimiter & patienter toleraſſet. Nunc quòd ea ſic tulerit ſummis

mis

mis Chriſtum laudibus extollendum putabas. Ego tunc audiens ducebar ſermonibus tuis non tam elegantiam ſpectans quàm ueritatem, quod ſi illa uериſsimè dicta ſunt, exiſtimandum eſt, quantum tunc extuliſti Chriſtum, quòd illata ſupplicia ſic contempſerit, tantum te nunc deiicere, quòd aduentantium ſpeciem tantopere extimuerit. Hæc commoui, (& pleroſq. eadem hæc commouent) vt inueſtigemus ſuper his diligentius, & habeam, quid quæſtionem hanc excitantibus, & muſsitantibus, & afferentibus, qualia audiſti, reſpondere ualeamus. MAR. O Euſebi, quæ hæc tanta facundia? quantus hic dicendi torrens? Enimuero ita dixiſti, vt quamuis ſcirem contrariam ueriorem eſſe cauſam, impuleris tamen, vt te audiens reſponderi aliquando tuis poſſe diffiderem. Noſti illud e Lucano.

*Adycit inualidæ robur facundia cauſæ.*

Hoc nuper uſu uenit. Enitar tamen ad ea, quæ me interrogas, & uidebo, quid efficere poſsim. Tu me ita interrogas, quaſi de his nihil iſto mane dixerim. Veruntamen meminiſſe potes, dum diſſererem paſsionem Chriſti quarumlibet aliarum etiam ſimul collectarum ſuperiorem eſſe: huc ueniſſe, vt oſtenderem Chriſti animam ſummo illo terrore & mœrore tentatam fuiſſe, vt magis atque magis pateretur, & clarius & magnificentius duceretur dominicæ paſsionis triumphus, ſi propaſsio etiam acceſsiſſet. Nam dum formidinem illam, & triſtitiam diſcutere uoluit Chriſtus, ingens excitatum eſt prælium appetitum inter & rationem, ſeu, vt mere ſacrarum ſcripturarum loquar, inter carnem & ſpiritum. Caro faciebat, quod ſuum erat, vt omni ſenſuum militia commota ſupplicia detrectaret. Contra ſpiritus ſibi nō deerat, & inductis iuſtis cauſis ad tormenta crucis ire compellebat. Itaque congredientibus illis inter ſe acerrimè & compugnantibus tota hominis natura inteſtino prælio laborante, & ueluti corporea mole ad tam ualidum graueque certamen dehiſcente, ſanguineus ſudor profluxit, uis ingens cruoris erupit, quo maius homines Chriſto beneficium debemus, quem conſtat noſtri cauſa in partibus etiam animæ interioribus uehementiſsimè uexatum, quæ moleſtia ſolet eſſe non minor, quàm quæ interdum ſupplicia foris corporibus intenduntur, duplex continet Chriſti oratio membrum, ita vt ſatis appareat duplici affectu pronunciatum. Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: hactenus ſenſus loquitur, qui deinceps locum relinquit rationi, vt diceret, Veruntamen non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu. Videbat enim rationi congruere diuinam uoluntatem impleri, & non ſolum uehementem, ſed etiam frequentem illum fuiſſe congreſſum illud indicat, quòd ter orauit: nam quod dicitur in oratione. Pater, ſi poſsibile eſt, non derogatur his uerbis diuinæ poteſtati, ſed perinde eſt, ac ſi dictum fuiſſet, ſi vis: nam quicquid uult poteſt, & hoc ſenſiſſe Chriſtum ſequentia indicant uerba. Veruntamen non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu. Lucas autem expreſsit, Si vis, ex quo facile intelligitur in ſenſu eos conuenire, licet diuerſis utantur uerbis: non enim potentia & uo-

luntas

luntas in Deo diſcreta ſunt:Et acceſsit (inquit Euangeliſta) Angelus de cœlo confortans eum,ſicut vt homo triſtitiam ſuſcepit, ita vt homo ab Angelo recipit conſolationem: uenit hic vt famulus ad imperata exequenda. Credo iuſſum, vt inferiores humanos ſenſus nimis trepidantes deliniret, & rationi ueluti dominæ acquieſcere hortaretur: præuiſio illa, quanta mox paſſurus eſſet, illum incutiebat terrorem, quem deinceps ratio ſuperauit: ſed non abſque duro certamine, & ſuperaſſe illud oſtendit, quòd mox armatis obuiam ſe fecit,& quòd Petrum corripuit,qui defendere gladio,ne caperetur, deſtinarat, patientia deinde & taciturnitas, qua uſus eſt in paſsione omni,oſtendit cauſam patiendi fuiſſe non neceſsitatem,ſed uoluntatem: nam quàm facilè non moreretur uiuens, qui mortuis uitam reddebat? Vbi ſunt hi, qui negant Chriſtum non uerè hominem fuiſſe,ſed ſpeciem tantum quandam & ſimulacrum hominis geſsiſſe? quæ hæreſis in eccleſia Dei diu inualuit: nemo enim inficiari poteſt hominem uon uere extitiſſe eum, qui humanis perturbationibus tentaretur. Accidentia enim (vt ait Philoſophus) magnã partem conferunt ad demonſtrandum quicquid eſt. Sed dicant forſitan illum ſimulaſſe triſtitiam, quod vt poſsit, etiam ne ſanguineus ſudor ſimulari poteſt? Quapropter diuino iudicio ſic perturbatum fuiſſe putandum eſt, vt oſtenderet ueritatem humanæ naturæ, quod in his martyribus non inuenitur: quos dicis tali formidine neutiquam præuentos fuiſſe, & ipſa ſupplicia fortiter toleraſſe: non enim diuinitatem ſibi arrogabant, & conſtabat eos à communi conditione non differre,niſi quòd uirtute cæteris præſtabant. Conſiderandũ eſt præterea Chriſtum caput eſſe Eccleſiæ ſuæ,in qua & fortes adſunt,& nihil metuentes uiri parati omnia pro fide & religione intrepidè ſubire: erant etiam quidam futuri infirmiore & teneriore animo, fortibus nihil aliud præmonſtrandum erat:non enim dubitandum,quin fortes fortiter agerent,ſubueniendum fuerat debilioribus & infirmioribus in illo præſertim populorũ impetu, quo Chriſti fideles igni & ferro inſequebantur:& oſtendendum capitis exemplo, vt intelligerent ſe non peccare, ſi pauore uenientium ſuppliciorum exanimarentur,modo ei non cederent,ſed reſiſterent:& ipſa ſupplicia conſtanter tolerarent,& eorum cruciatu à fide, religione, cæteriſque iuſtitiæ partibus non deficerent. Ergo hoc illis exemplum Chriſtus præbuit, nõ enim aliundè membra,quàm ab ipſo capite ſumere, quid liceret,& quid non liceret,oportebat. Miramur in Chriſtum triſtitiam, mœrorem,& pauorem incubuiſſe, quem ſcimus alios defectus humanæ naturæ ſuſcepiſſe præter culpam & ignorantiam:nam frigus & æſtus, famem & ſitim, & huiuſmodi moleſtias ſentiebat. Miramur pauore ſuppliciorum tentatum eum, qui uoluit etiam tentari à Sathana de maximis peccatis,vt oſtenderet talibus tentationibus eſſe reſiſtendum,& uiriliter dimicandum. Magni omnino eſt animi aduenientibus ſuppliciis nihil pertimeſcere, nihil eorum ſpecie terreri, ſed eum tamen, qui præcurrentem pauorem belligerando fregerit, fugarit,

auerterit, ita vt deinceps intrepidus ſtet aduerſus ſupplicia, maiore uirtute rem gerere exiſtimandum eſt, quàm eum, qui nunquam pertimuit: quoniam hic plus uicit, quàm is, qui nunquam pauore fuit tentatus, maiorem etiam dilectionem oſtendit erga eos, quorũ cauſa patitur, ſi metum etiam tormentorum præcurrentem ſuperauit, ſenſusq. rebellantes parère rationi coëgit, hoc enim eſt ſe ipſum uincere, quæ difficilis eſt & rara uictoria: ideò, qui ſic uicerit, ſplendidiorem coronam promeretur, non quòd nihil metuerit, ſed quòd metuenda contempſerit, metumque ipſum fregerit, debellarit: plerique autem eum, qui nihil metuat, fortem non exiſtimant, quoniam id fieri duritie ſenſuum uel ſtupore quodam mentis arbitrantur, & uerè natura corporis multum affert ad dolorem ferendum & contemnendum, quo autem perſpicacior eſt ſenſus, & acutior, & nobilior, eo magis perturbatur. Dico igitur illo terrore Chriſtum percuti uoluiſſe, vt plus patiendo ſplendidior eſſet in dolorum toleratu uictoria: item vt ex humanarum perturbationum incurſu oſtenderet ueritatem hominis in eo fuiſſe. Item vt eſſet exemplo infirmioribus, ne deſperarent de ſalute, ſi huiuſmodi terroribus præoccuparentur. Quid ad hæc? Addo, ſi uis, aliud: uoluit his uerbis oſtendere Chriſtus, duas in eo uoluntates fuiſſe diuinam ſcilicet & humanam: ſicut perfectus Deus erat, ita & perfectus homo. Nonnulli autem hæreſi ſuæ conſentanea facientes, dum in Chriſto unicam duntaxat ponerent naturam, unicam etiam uoluntatem ponebant Apollinaris, Eutychetes, Neſtorius, & eorum ſectatores. At Macarius Antiochenus patriarcha, & Appius Alexandrinus, & Sergius Conſtantinopolitanus, & qui ipſorũ ueſtigia tenuerunt, & ſi duas in Chriſto ponerent naturas, unica tamen uoluntate moueri Chriſtum, ideſt, diuina opinabantur. Hi omnes hoc Chriſti ſermone refelluntur, quo dixit, non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu: duplicem igitur Chriſtus habuit uoluntatem diuinam unam, alteram humanam. Sed humana uoluntas ita parebat rationi, ſicut probus patri filius, Imperatori miles, domino ſeruus, mouebatur autem principaliter à Deo, ſicut cæteræ Sanctorum uirorum uoluntates ad pietatem ſpectantes eodem authore mouentur. Mirum non eſt, ſi aliud quis appetitum ſenſuum reſpiciens uelit, aliud ſequens rationem, ueluti ægrotus recuſat potionem, & ſectiones tamquam ſenſibus inimicas, rurſus optat ex ratione, vt ſalutem aſſequatur. Sic Chriſtus refugit ſenſuum dolores, quos natura humana aſpernatur, mox requirit ratione imperante: at non ob ſuam, ſed (quæ immenſa in eo fuit charitas) ob aliorum ſalutem. E V S. Omnes has cauſas accipio, nec quicquam habeo, quo eas ualeam refellere. M A R. Sunt autem, qui putent, quòd Chriſtus corpore ſuo ſanguinem ſudauerit, indicaſſe martyres uenturos: nam & de corpore Chriſti fuerunt, & largo cruore fluxerunt. E V S. Nec id improbare poſſum. Omnis enim Chriſti actio extra id, quod geritur, aliquid etiam aliud (ſi quis rectè aduertat) ſubindicare uidetur. Sed de his alias. Nunc perge ad reliqua: quæ ſunt huius

temporis.

temporis. MAR. Magnæ conſiderationis res offertur, magnæque pietatis: nam naturæ iura uidentur retrocedere, abſurdaque multa conſequi, dum excellentiſsima perſona Chriſti, quæ ex Deo & homine conſtat, fertur præuidiſſe ſupplicia, eaque extimuiſſe: trepidauit enim tunc conſtantia, & titubauit fiducia, ſalus patitur, & ſi nunc eſſet poëtis locus, uterer illo tragico Senecæ uerſu. *Et Dominus mortis pertimuit mori.*

Imo & mortuus eſt: Ah quantum eſt hoc, quod uita moritur, fortitudo ſuperatur. Occurrit nunc imago crucis ſtillantis undique cruore. At qui unquam homines Dei filium cruci appendere potuerunt? quanta hæc audacia, imò impietas precioſiſsimum illum ſanguinem per uulnera effundere? Quis nunc tanta dicendi facultate inſtructus, tamquàm fluens uerborum copia, vt tantam ſceleris indignitatem dignè deplorare queat? Non reſpicio nunc crucis fructum, ſciò, quòd non permitteret Deus mala, niſi ex his fructum uberem eliceret; ſed illud reſpicio, quantum illud fuerit ſcelus, quod nulla unquam diligentia poſsit explorare: nulla unquam eloquentia explicare. Ita ne uerò creatorem ſuum, regem ſeculorum omnium, cuncta ſupercilio regentem & moderantem auſi ſunt crucifigere? & Sol tunc iſtis illuxit, & terra ſuſtinuit? Illa uerò & tota contremuit, & Sol tenebris caput operuit. O atroces clauos, qui diuina membra perforare, & ſuffigere potuiſtis. At in uobis ferrum, in humanis cordibus rigidius etiam quiddam fuit: & tamen inter ſupplicia Chriſtus uocem illam emiſit, Pater ignoſce illis & cætera. Abel iuſti ſanguis, qui fraterno mucrone profuſus, cum primum terram polluit antea ignaram cruoris, ultionem clamitabat: ex diuerſo Chriſti cruor immaniore ſcelere profuſus miſericordiam efflagitat: nec nunc in cœlo alium fundit ſonum uox huius cruoris, quàm tunc de cruce fuderat: tantam dignitatem, tantam gratiam ultima hæc tempora Chriſto duce tulerunt, ſed tu fortaſſe de huius ſanguinis laudibus aliàs non audiſti. EVS. Fortaſſe. Itaque expecto: nam id non poſſet huic tempori magis congruere. MAR. Omnia Chriſti ſanguini debemus. Sacratiſsimus ſanè ſanguis, digniſsimus, glorioſiſſimus, quem in mundi pretiū, fructus uentris generoſi, rex effudit gentium. Hic eſt ille ſanguis, qui lapſum reſtituit primi parentis, humani generis culpam abluit, & cœleſti nos patri conciliauit: quod nec luctus, nec lacrymæ Sanctorum antea multorum, nec ulla uota & ſacrificia, & obſequia impetrare potuerunt. Quid poteſt eſſe tantum, quantum is ſanguis tanto charitatis igne profuſus ab eo, qui non homo tantum, ſed pariter erat Deus? Huc ſpectans Paulus dicebat. Empti eſtis pretio magno ualde: & ad Corinthios de ipſo Chriſto. Pacificans (inquit) ſanguine crucis ſuæ, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Et eiuſdem Apoſtolatus conſors Petrus in epiſt. I. Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati. Ioannes quoque in reuelatione. Qui nos (inquit) dilexit, & lauit à peccatis in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo.

Et Bernardus. Sublime eſt animæ pretium, quæ non niſi ſanguine Chriſti redimi potuit. Zacharias quoque in ſpiritu prophetico ad ipſum conuerſus Chriſtum: Tu quoque (inquit) in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti uinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua: quid ſit autem lacus ille inaquoſus, de quo meminit Propheta, Auguſtinus exponit decimo ſeptimo libro de Ciuitate Dei: & uult intelligi humanæ miſeriæ ſiccam quodammodo & ſterilem profunditatem, ubi non ſunt fluenta iuſtitiæ, ſed iniquitatis lutum: ſicut & alibi in Pſalmo dicitur. Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis. Ab hoc tam miſero lacu ſanguine eruti Chriſti ſumus. Hic ſanguis adeò placuit Deo, vt antequàm fuerit effuſus, uoluerit huius intuitu omnem alium ſanguinem in ſacrificiis ſibi fundi, & omnia ueteris legis ſacramenta ſanguine aſpergi: multaque mirifica in ſanguine fieri. Aſpice ſacrificia duorum primorũ fratrum Abel & Cain. Obtulit in ſacrificium Cain terræ fruges. Abel pecudes, Inter cauſas quibus exiſtimatur Abel ſacrificium Deo probatum fuiſſe, hæc quoq. connumeratur, quòd ille ſanguinem obtulerit, qui huius ſacratiſsimi imaginem præferebat. Quum Dominus peruicacia motus Pharaonis nõ dimittentis populum Iſraëliticum extincturus eſſet omne primogenitũ Aegypti, admoniti Hebræi ſunt, vt vtrunque poſtem domus & ſuperliminare immolati agni ſanguine tingerent, ſi perniciem illam effugere vellent, idque rè comprobatum eſt. Salua enim Hebræorũ primogenita fuerunt cæteris Aegyptiorum extinctis: iudicatum fuiſſe tunc videtur ſanguine opus eſſe agni cœleſtis, ut ſalus animæ humano generi conſtaret. Omnia namque (inquit Apoſtolus) in figura illis contingebant. Tanti autem tunc feciſſe videtur ſanguinem Deus, vt eum ſibi in ſacrificiis animalium uoluerit offerri: eſum autem eius populo interdixerit. Scriptum eſt enim: Non comedetis carnem cum ſanguine. Et rurſus. Sanguinem ouis, bouis, & capræ fundes ſuper altare meum, carnes uero in uſum tuum cedent: Sed & circuncisio in maſculos imperata, vt oſtenderetur ſanguine opus eſſe aduerſus peccatum quod ab origine contractum fuit. Sacerdotes quoque in eorum conſeruatione ſanguine aſpergebantur, & uaſa pariter templi ſanguine mundabantur. Denique omnis peccatorum expiatio ſanguinem poſcebat, aut uituli, aut hirci, aut arietis, aut capræ. Ipſe Pontifex, qui ſemel in anno ingrediebatur, ſolus ſancta ſanctorum pontificiis ornatus indumentis, vt pro ſuis & populi peccatis dominum exoraret, non antea id agebat, niſi fuſo hircorum & uitulorũ ſanguine. Demum ne primum quidem teſtamentum, (vt Paulus ad Hebræos memorãs ſcribit) ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto (inquit) omni mandato legis à Moyſe uniuerſo populo accipiens ſanguinem uitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyſſopo, ipſum quoque librum & omnem populum aſperſit dicens. Hic ſanguis teſtamenti, quod ad uos mandauit Deus: etiam tabernaculum, & omnia uaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit: Hæc ſubinde Paulus uocat exemplaria uerorum, ſcilicet, quæ in ſecundo teſtamento contigerunt.

runt. Dictum fuit à Moyſe: hic eſt ſanguis teſtamenti, quod ad uos mandauit Deus. Huic imagini reſpondet illud uerum à Chriſto prolatum. Hic eſt ſanguis noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Veteribus ſacrificiis, quæ fiebant in ſanguine, reſpondet hoc uerum ſacrificium, quòd illa imaginis inſtar referebant: non enim uitulorum & hircorum & ſimilium animalium ſanguine opus erat, ſed iſto, quem Chriſtus effudit, per quem peccatum abluit humani generis, & mortalibus aditum ad immortalem uitam reſerauit. Nec mirum uideatur illa tam multa ſacrificia huius unius imaginem fuiſſe, ſicuti nec mirum eſt eandem rem multis nominibus ſignificari, & eandem ſententiam uariis argumentis euolui, vt ſine faſtidio libentius audiatur. Vis uidere illa omnia fuiſſe ſimulacra huius ſanguinis, quem Deus unicè peramabat. Cogita, quòd illa uetera Hebræorum ſacrificia non apparent, poſt quàm Chriſtus ſeipſum vt ueram oſtiam obtulit: potes ne mihi dicere, ubi ſint, quibus in terris exerceantur, nuſquam apparent. Cur? quia vt ſimulacra tantum fabricata fuerunt ceſſatura in rei ueræ aduentum, quem ſignabant. Quapropter non ſolum hoc Chriſti ſanguini debemus, quòd per eum redempti ſumus pretio magno à diaboli falſorumque deorum tyrannide; Sed quòd præterea omnem ſanguinem ſuſtulit, non eſt nobis nunc neceſſe, quod olim antiquis patribus ſub ueteri lege degentibus, vt ſanguinem fundamus. Quærebam antea, ubi uetera ſunt Hebræorum ſacrificia: nunc etiam quæro ubi apud gentes & nationes, in quibus olim non pecudes modo & animalia irrationalia, ſed homines quandoque immolabantur, ceſſarunt illa omnia, nuſquam uiſuntur. Non conuenire uiſum eſt, poſt tam nobilis ſanguinis effuſionem ſacrificii more oblatam, aliam meditari: omnis alia huic comparata ſordeſcit. Chriſtus omnem ſanguinis effuſionem quæ in altaribus ſacerdotum manu fiebat, ſanguine ſuo terminauit, præſertim quum largè copioſèque fluxerit. At poterat parua ſanguinis effuſio opus hoc redemptionis explere: poterat quidem ob infinitam dignitatem perſonæ, quæ illum effundebat. Veruntamen maioris amoris oſtendendi gratia maior effuſio facta eſt, & ſimul vt exemplo admoneret non eſſe ob ſuppliciorum grauitatem de uera & iuſta ſententia diſcedendũ, ſed fortitudinem aſſumendam, & ſubeunda omnia potius, prius quàm ueritas deferatur. Et hæc quidem de Chriſti ſanguine habeo dicere, quæ tibi probata fore confido. EVS. Noſti Catherinam Senenſem, quæ paululum ſupra hanc ætatem fuit, & uiuens ſanctitate & miraculis floruit, & poſt mortem in diuorum ordinem per Pium Secundum Pontificem ciuem ſuum relata. MAR. Noui equidem, & ualdè quidem: nam epiſtolas eius legens, quas infinitas ſcripſit ad cuiuſcunque ordinis uiros, dialogumque eius pulcherrimum euoluens, in quo ſe cum Deo Patre colloquentem facit, quem extra ſe poſitam confeciſſe dicitur, admiratus ſum ſæpius in fœmina illiterata & indocta tantam ſcientiam cœleſtium myſteriorum inſediſſe: ſed ſpiritus, ubi uult, ſpirat, &

infantium

infantium linguas eruditas facit & diſertas, ſed quid de ea rogas? E V S. Quia ſi ſcripta legiſti huius virginis, ſicut dicis, animaduertere potuiſti, quantopere Chriſti ſanguine moueretur. Omnibus illa locis Chriſti ſanguinem prædicat, hunc miratur, de hoc exclamat, hunc amplectitur, cum hoc conſiſtit, & ſine eo eſſe non uult, & demum uſque eò affectu amoris peruenit, vt quamuis ſupplicium omne, quod pro CHRISTO toleratur, approbet: tamen ſanguinolentum præferat omnibus: ita ipſam & in Chriſto, & Chriſti cauſa profuſus ſanguis delectat. Quapropter hæc, quæ de Chriſti ſanguine dixiſti, ualdè amplector: nam & ſcripturis congruunt, & teſtimoniis ſanctorum uirorum, qui ſcripturas interpretati ſunt, eo, quo ſunt editæ ſpiritu, iuuat etiam, quòd auctoritate huius Virginis ſunt comprobata. Nullum equidem Sanctorum legi, aut uidi, qui tanto amoris affectu Chriſti ſanguinem perſequatur, ſiue id tribuendum fœmineo ſexui, qui affectibus uehementius quatitur in his præſertim, quæ ſunt miſerationis: ſiue ſpiritui ſacro, qui in hac homine morabatur, & loquebatur. M A R. Hæc, quæ de uirgine hac ſancta dixiſti, uera ſunt omnia, repetens etiã memoria, quàm ardenter, & quàm efficaciter Dei ſpiritus in ea uerba funderet: uellem adeſſet, vt nobis de Chriſti tormentis diſſereret: nam illam quoque ſtigmata Chriſti inuſſerunt. Illa etiam (vt noſti) dum uiueret, & Pontificibus maximis, & Cardinalibus, & collegiis monachorum non illa quidem publicè ſuggeſtum cõſcendens, ſed priuatim & de plano Chriſtum prædicabat non ſine magno animarum profectu: non enim in perſuaſibilibus ſermonibus, nec in doctis humanæ ſapientiæ uerbis ueniebat, ſed in Dei ſpiritu, cui obſiſti non facilè poteſt: utinam inquam adeſſet. E V S. Poſtquam adeſſe non poteſt, vt quæ in cœleſti patria Chriſto iam ſuo fruatur beata, & inter nos ſermo de tantis rebus habendus, ita vt tuæ partes ſint dicendi, meæ interrogandi, & audiendi: reſtat, vt adiiciantur, ſi quæ prætermiſſa ſunt. M A R. Multa iam dixiſſe uideor, omnia autem attingere nemo poteſt, & ſi aliquis poſsit, ego me poſſe diffido, qui magnam ætatis partem in iuris ſcientia conſumpſi: At non ſolum mihi, ſed omnibus, qui fatentur ſe amplitudine materiæ victos non poſſe cuncta perſequi, multam ueniam dandam puto: tanta enim de Paſsione Chriſti ſcripta ſunt à ſanctiſsimis uiris, vt ſi quis ea omnia euoluere uelit, vix uita eius ſuffecerit. E V S. Et multa dicta ſunt, & alia fortaſſe non ſuppetunt, quæ tractentur, & parcendum ſit etiam labori tuo. Quamobrem cenſeo, ſi ita tibi quoque videatur, vt finem ſermoni huic imponas. M A R. Sit finis igitur. E V S. Non eſt is finis, quem peto, qui ſilendo peragitur, ſed qui efficitur concludendo. M A R. Epilogum (vt uideo) requiris. E V S. Hunc ipſum, Latini perorationem uocant, vbi ſtrictim repetuntur argumenta cauſæ, ſed ea, quæ ſunt meliora & potentiora ad animos commouendos. M A R. Faciam, quod te uelle uideo, quamuis rhetoricæ artis ſtudium, quo pridem calebam, nunc cum ætate pariter frigeſcit, & deponendum iam cenſeo. E V S. Vt uidebitur

tur

tur aliàs. Nunc redde nobis hunc epilogum imò omnibus, ſi forſitan dialogus iſte noſter, vt alii multi tui, in lucem exierit. M A R. Quantum igitur beneficium, quantam gratiam, quantamq; gloriam Chriſti paſsio humano generi attulerit, dictum eſt antea. & à cunctis ferè cognoſcitur: & nunc in fine ſermonis huius, quemadmodum poſſumus, perſtringemus. Quid homine antea miſerius, qui ita viuendi ſenſum acceperat, vt periret? Notus in Iudæa Deus, & in Iſraël magnum nomen eius: at hi, quibus notus erat, apud quos magnum nomen eius, poſt uitæ huius exitum ad inferos detrudebantur. At nunc cœlum petimus, reddidit nobis patriam illam cœleſtem cum ingenti beatitudine Chriſti ſanguis, nec vno tantum loco notus Deus, ſed omnibus: nec unus populus ſed omnes gentes eiuſdem participes ſalutis ſunt, & nomini eius inſeruiunt. *Vox diuerſa ſonat populorum, vox eſt tamen vna.*

Quum Chriſtus omnium ore prædicatur Redemptor, hoc omnes faſſæ ſunt gentes. *Quam variæ linguis, habitu tam veſtis, & armis*

Et hæc fuit potentia. At charitas quanta? Non ſatis illi fuit effudiſſe ſanguinem, ſed mori etiam uoluit, vt morte ſua mortem noſtram deſtrueret, & nos ueluti carne mortuos ſpiritu uiuos Deo Patri offerret. Admiranda profecto Dei charitas: proprio Filio non pepercit, vt hoſtes ſeruaret. Maiorem (inquit ipſe) nemo charitatem habet, quàm vt ponat animam pro amicis ſuis. At pro inimicis mori hoc tantum eſt, vt uideatur excedere terminos humanæ facultatis. Verumtamen Deus (vt uerbis utar Apoſtoli) ſic nobis commendat charitatem ſuam, quòd quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Omnes in Adam peccatores tenebamur. Maxima pars humani generis Deo uero contempto aut ignorato idolis ſeruiebat; non hominum tantum, ſed auium quoque, & quadrupedum, & ſerpentium effigies colebantur. Magna undique ſcelerum copia affluebat: & tales tamen homines Deus oblato Vnigeniti ſanguine redemit: hoc quantum pendendum ſit, illud indicat, quòd antea etiam commemoraui, & nunc repetere iuuat, quòd cum Abrahæ iuſsiſſet Deus, vt ſibi filium immolaret, quem habebat unicum, isq. diſtricto gladio immolationi incumberet, tantam hanc eius uoluntatem non parcendi proprio filio adeò magnificauit Deus, vt diceret ſe cognoſcere, quòd timeret ipſum, & ulterius pro hoc facto benedicitur, & multiplicatio ſeminis eidem promittitur ſupra ſtellas cœli & arenam maris. Si quod proprium filium uoluit immolare Abraham, id ualuit ad demonſtrationem eximiæ erga Deum charitatis. Cur non pariter dicatur Deus eximiæ erga homines charitatis uim oſtendiſſe? Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et ſi illud Abrahæ factum ſequuta eſt diuina cõmendatio, in ſimili Dei facto nulla erit gratiarum actio? Et plus erit immolare uoluiſſe, quàm immolaſſe? Et plus mortalis hominis mortalem Filium, quàm æterni Patris æternum Filium morti obieciſſe? Ipſe Saluator in Euangelio. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum unigenitum daret. At

ret. At quomodo dedit? Dedit, vt finem ueteris legis Iudæis, lucem gentibus, vt cognatum & contubernalem hominibus uniuerſis, dedit in ſupplicia, in patibulum, in mortem. Dedit & ut uictimam ad placandum, & ut Sacerdotem ad offerendum, dedit ut charitatis magiſtrum, patientiæ & humilitatis exemplar, uiaticum peregrinationis, pretium redemptionis, uitam reſurrectionis: dedit non ſemel aut iterum ſed in perpetuum: nam noſtri cauſa conceptus, & natus eſt, uerſatuſque in terris, mortuus eſt, reſurrexit, aſcendit, & ne nunc quidem in cœlo ſedens ad dexteram Dei Patris deeſt noſtræ cauſæ, ſed ſanguineam indutus tunicam exorat pro peccatoribus Patrem, & iram eius indignationemq. deprecatur. Sic Deus (inquit) dilexit mundum. Iſtud, ſic, ſignificat tam ualdè: dilexit mundum. Quid mundo cum Deo? Nihil. Imo contraria omnia: homines enim, quos hic mundi nomine ſignificat, impii erant, ſacrilegi, ſcelerati, dæmones fœdiſsimos tamquam deos & ſimulacra ſua manu fabricata uenerãtes. Pauci uerum Deum cognouerant quicunque autem cognouerant, non ſicut Deum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis: & tamen mundum hunc immundum mundare uoluit Deus ſanguine Vnigeniti, tanta uis fuit amoris: Deus enim totus eſt amor. Non quia ergo prius dilexeramus eum, ſed quia ipſe prior dilexit nos, tantam in nos ſalutem effudit. Nos promeriti fueramus mortem, non ſalutem: tamen eius, qui ſalus eſt, morte ſaluati & liberati ſumus. Nos peccaueramus, & Deus peccata noſtra ſuis luit ſuppliciis, & quod nobis debebatur, ipſe uelut intermedius excepit. Si inſpicimus, quid ſit Deus, totus eſt uita, totus beatitudo, totus robur, totus inuicta potentia. Manens in ſuis glorioſus eſſet. Sed ille non tantum ſuus eſſe uoluit, ſed & noſter. Itaque homine aſſumpto ad humana deſcendit. In inuidiam & odium incidit Sacerdotum, & magiſtratuum ob magnitudinem ſignorum: & exprobrationem peccatorum habitus ut ſeductor, qui erat charitas: ut impius, qui erat pietas: vt latro, qui Dei erat Filius: demum irriſiones, conuitia, flagella, ſputa, alapas, ſpinas, uulnera, crucem vt nocentiſsimus tulit. Noſtra illa debebant eſſe ſupplicia, non ſua, quia noſtra erant peccata, non ſua: ſed noſter ille eſſe uoluit, non ſuus, quia inter illas pœnas noſtram agebat cauſam, non ſuam. Illis namque ſuppliciis, illis tormentis, illa cruce chirographum peccati deleuit, quod aduerſus nos inſcriptum diabolus tenebat: Et antea dixerat Caiphas, neſciens quid diceret. Expedit unum hominem mori pro populo, ne tota gens pereat. Suſcepit ille ignominiam, vt ignominioſos glorificaret: ſuſcepit miſeriam, vt miſeros beatificaret: ſuſcepit mortem, ut mortuos uiuificaret: pro his non noſtra petit, ſed redamari appetit; & hoc ipſum, quod appetit, propterea appetit, quòd nobis profuerit non ſibi: & ratio quidem depoſcere uidetur, vt poſtquam ſe ille totum nobis dedit, noſmet ipſos uiciſsim totos illi demus. Vocat ad ſe nos Chriſtus in ligno pendens, & uocat quidem inclinato capite, vt benignitatem oſtendat, uocat ſuffixis manibus,

ne vt

ne vt peccatores accedentes uerberari metuamus: ſuffixis quoque pedibus, vt uocatos expectet, nec diſcedere oſtendat, quam autem ad rem uocat? vt uideat. Non. (Quid enim ille non uidet?) ſed vt uideatur: cupit uultum oculosque noſtros ad ſua ſuſtolli uulnera, vt colligamus quanto amore noſtri ipſe flagret, & ſub tali exemplo duriſsima quæq. & aſperima feramus, quod olim præſtiterunt infiniti religionis noſtræ alumni, qui, ne à fide deficerent, uncos, gladios, laminas, ſarcagines, lapides, ſagittas, & multas alias cruces tolerauerunt. Aſpiciebant illi Dominum, cuius præcipuo amore tenebantur: meminerant, quòd pro illis antea tulerat duriora, & hac cogitatione ueluti amentes in ſupplicia ferebantur. Non faciebat hoc ſtupor ſed amor, qui, ſi uehemens eſt, tranſit per omnia. Aderat doloris ſenſus, ſed ſubiiciebatur rationi, uincebatq. illum cupiditas imitandi per pœnarum ueſtigia Chriſtum, quem toto animo, totis medullis, uiſceribusque imbiberant. Et hæc quidem illi geſſerunt. Nos autem quid agemus? Nonne omni ſtudio & conatu id agendum, ne ingrati tanto beneficio inueniamur, ne tantam beneuolentiæ ſignificationem contemnamus? abſit hæc ab hominum fidelium cordibus tanta feritas, tamque magna impietas. Damnamus Iudæos, qui tantum facinus admiſerunt: & uix (ſi liceat dicere) pœnitentibus dimittendum: ſed quàm terribilis illa Auguſtini ſententia, minus peccaſſe Iudæos, qui crucifixerunt Chriſtum in terra ambulantem, quàm qui contemnunt in cœlo ſedentem. Cui conſonat illud Apoſtoli ad Hebræos, qui loquens de quibuſdam à fide prolapſis, crucifigentes (inquit) Chriſtum in ſemetipſis, & oſtentui habentes. Satis ſuperque hodierno die de Paſsione Chriſti fuimus commentati, quamquam non unus tantum dies, ſed tota uita in hac meditatione eſſet collocanda. Attamen hic dies commemoratione eccleſiæ ad hanc Chriſti paſsionem uocauit, & præcipuam operam poſtulauit, cui rei tu minimè defuiſti: qui etiam uoluiſti epilogum me addere, & ueluti apicem ſuperioribus imponere. Iuuat nunc aliud addere, quod non tam epilogi, ſed corollarii magis erit uice, non ad neceſsitatem, ſed ad ornatum & ſplendorem quendam rei, de qua agitur, ſeu mauis ſermonum noſtrorum: & in primis ueniat in medium præclarum teſtimonium, quod attulit Chriſto Ioſephus in duodeuigeſimo libro antiquitatis Iudaicæ. Is enim ſcribens res geſtas in Iudæa Tiberio Cæſare imperante extitiſſe, aſſerit eiſdem temporibus IESVM uirum ſapientem (ſi tamen inquit uirum appellare fas eſt) mirabilium operum effectorem, & doctorem eorum, qui libenter uera audiunt: multos Iudæorum, multos etiam ex gentibus ſibi adiunxiſſe. Chriſtus (inquit) hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis uirorum, quum Pilatus in crucem agēdum eſſe decreuiſſet, non deſeruit eos, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim eis tertio die iterum uiuus, ſecundum quod diuinitus inſpirati Prophetæ uel hæc uel alia de eo innumera miracula futura eſſe prædixerant. Non audet iſte quidem dominum IESVM appellare Deum, ſed ne

ſimpliciter quidem uirum uocare ob miraculorum magnitudinem, fatetur etiam Chriſtum eum fuiſſe in lege promiſſum & prophetarum ore prædicatum, & in cruce à Pilato actum tertio die reſurrexiſſe, & diſcipulis apparuiſſe. Non hiſtoriis ſuis hæc mandaſſet iſte Hebræorum doctiſsimus, & ſuæ legis peritiſsimus, niſi ſincera doctrina Chriſti & mirabilium operum effectio, & triduana poſt crucem reſurrectio clara omnibus & aperta fuiſſent. Quid enim minus conuenit hiſtoriæ, quàm minus comperta dicere? Dubitaſſe uidetur, num Deus eſſet, qui talia gereret, dum ueritus eſt Deum nuncupare. Non diſcrepat etiam ab iſtis Moiſes Aegyptius, vt alterum adducam ex Hebræis teſtimonium, quemadmodum à Marſilio Ficino relatum eſt. Is in libro Iudicum ordinariorum his utitur uerbis. IESVS Nazarenus uiſus eſt eſſe Meſsias, qui ſententia Iudicum interfectus cauſa fuit, vt deſtrueretur Iſraël in gladio. Audis, quæ hic loquitur? Vt damnat Iudæos Hieroſolymæ agentes de geſtis in Chriſtum, & dicit per illa Iſraël gladio concidiſſe? Non eadem, quæ illos inuidia, ita iſtum uirum excæcauit. Sed & Romæ de diuinitate Chriſti actum eſt. Nam quum ex Syria & Palæſtina (quemadmodum apud Tertullianum in illo ſuo inſigni apologetico aduerſus gentes ſcriptum eſt) Tiberius Cæſar multorum literis ipſa denique fama certior factus eſſet de mirabilibus Chriſti operibus, tam quæ uiuus effecerat, quàm quæ poſt mortem eius conſecuta ſunt, ita vt magna multitudine Deus eſſe crederetur, commotus eſt, & quoniam lex uetus erat, ne quis pro Deo conſecraretur, niſi à Senatu prius probaretur: commemorauit in Senatu Tiberius, quæ compererat de Chriſto, & retulit de eius Deificatione cum prærogatiua ſuffragii ſui. Senatus ægre ferens, quod prouinciarum rectores ad eum prius non ſcripſiſſent, noluit approbare. Verumtamen Cæſar in ſententia manſit, & extrema comminatus eſt, ſi quis offendiſſet, aut accuſaſſet quempiam eo nomine, quod Chriſtianus eſſet. Extat Pilati epiſtola ad eundem Tiberium Cæſarem commemorata ab Egeſippo Iuſtinoque martyre: in qua omnia, quæ mirabiliter Chriſtus egit, dum in humanis eſſet, & de cruce, de ſepulchro eius cuſtodito à milite, & de reſurrectione ea refert, quæ in Euangeliis continentur. Itaque nemo poteſt ſaluo pudore hæc ficta dicere, quæ ab hominibus à religione noſtra auerſis prodita fuere, non omnino ueritatem incorruptam tenuerunt: Verumtamen, quum de doctrina Chriſti, uita, & de miraculis ſupra humanæ facultatis uires editis honorificè loquantur, nec crucem horreant, quum uideant reſurrectionis gloriam, quanto magis crux & tota Domini paſsio nobis uenerabilis eſſe debet, ex qua beneficium infinitum ſuſcepiſſe intelligimus: quod illi non intellexerunt. Habes non epilogum tantum, vt poſtulabas: uerumetiam corollarium, ſeu ut Græci uocant παρέργον, ideſt rem adiectitiam ad principalem formam ornatus gratia, ne quid aliud deſideres. EVS. Tu te finem feciſſe ſermonum tuorum arbitraris? MAR. Quid ni arbitrer? Num me forſitan alium iubes epilogum dicere? EVS.

Audi.

Audi. Ego dum de Chriſto domino diceres, non ſum auſus te interturbare: locus tamen ſeruabatur Mariæ, vt de eius quoque paſsione uel in fine locutionis tuæ aliquid attingeres: non enim uidetur mater ſeparari poſſe à filio, ſicut nec acerbiſsimo illo tempore ſeparata eſt. Scio quanto cultu, qua ueneratione ſanctiſsimam Dei genitricem Mariam proſequaris. Indicat oratio, quam in eius aſſumptione elaboraſti: ſed illa, quæ tunc dicta ſunt, fuerunt gaudii, & exultationis: hæc triſtitiæ & paſsionis, de qua, & ſi habeo ipſe, quid dicerem, tamen te malo audire, parces autem mihi, ſi re iam perorata tibi nouum hunc laborem impono. MAR. Non mihi labor eſt de Maria Domini matre dicere, ſed lucrum; dicerem gaudium, niſi tali in re matri de filio compati oporteret: id enim humanitas poſtulat, ut cum gaudentibus gaudeamus, cum flentibus fleamus. Non habet humanum genus perſonas inſigniores his duobus Maria matre, & IESV filio. In utreque titulus admirabilis, in filio homo Deus, in matre Virgo genitrix, & quòd genitrix etiam Dei, quam unico verbo (vt Græcos imitemur) Deiparam uocare poſſumus. Quis æſtimare poſsit, quantum huic fœminæ conceſſum ſit? Itaque non de aliis libentius loquendum, quàm de iſtis duobus, qui naturam noſtram tantopere decorarunt. Sed de IESV ſatis eſt dictū. Nunc Mariam uideamus. Maxima tunc & acerrima fuit Mariæ paſsio: paſsio inquam, quæ quanto cedit paſsioni Filii, tanto cæterorum ſuperauit. Vide quanta & quantum ad meritum Mariæ ſanctiſsimæ cedat hæc paſsio, ut prophetæ etiam ore meruerit notari: nam quum impletis purgationis diebus Maria puerum IESVM tuliſſet in templum, ut ſecundum legem eum ſiſterent Domino. dictum eſt ei à Simeone illo ſene, qui impletus erat Spiritu ſancto, & reſponſum acceperat ſe non uiſurum mortem, donec uideret Chriſtum domini. Quid ergo Simeon ad eam? Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Non potuit dolor maximæ paſsionis efficacioribus uerbis ſignificari. Amabat eum, quem genuerat, ſed hoc acrius, quòd in filio & ſuum & omnium Creatorem amabat, ita ut non neceſſe eſſet in uarias perſonas amorem diſpergere. Addebat amori calcar, quòd Filius unicus, quòd proprius nulla communione alterius parentis, quòd eximia illi forma, quòd ſuauis & mitis moribus, quòd immenſa præditus ſapientia, quòd opere & ſermone potens, quòd eximiè is, qui pariter erat Deus, terrenæ matri obſequebatur. Ergo animam eius quantus doloris gladius infixit, quum gnatum, quem effuſiſsimè diligebat, toto corpore fœdatum & laceratum, & cruore undique fluentem, non miſera quidem audiſſet, ſed præſens ſpectaret: ac ne illud quidem relinquebatur, vt auxilium aliquod, & leuamen tam acerba patienti filio mater ferre poſſet. Audiebat ipſum ſitire, potum porrigere non poterat; uidebat triſtem & afflictum, & gementem, non poterat ſolari: uidebat uulneribus fluentem, uulnera ſiccare non poterat: irriſiones & contumelias de illo audiebat, quas refellere nec tempus illud, nec mulieris pudor patiebatur. Si Mariæ paſsio cæ-

terorum martyrum paſsionibus comparetur, omnes alias reperietur (vt dixi) ſuperare. Martyres namque afflicti ſunt propter CHRISTVM, vt fideles ſerui, Maria vt amans etiam mater. Itaque neceſſe eſt acrius doluiſſe matris pectus, quàm eorum, qui fidei tantum ſeruandæ gratia interibant: percuſsi martyres in corpore, ipſa in anima, grauiora autem eſſe uulnera, quæ animis, quàm quæ corporibus percipiuntur, manifeſtum. Multi imperterrito animo uulnera & dolores corporis neglexerunt, quidam etiam in tormentis ridentis ſpeciem præbuerunt, tantum autem roboris humanis ineſt animis, ut dolores corporis ſubleuet, & leuiores uideri faciat, & ne diſcedatur ab officio, contemnendos. At ubi percutitur dolore animus, & æger eſt totus, non habet homo intra ſe aliud, quod eum ſubleuet, quin etiam animus in mœrore poſitus dolores corporis intendit, & grauiores uideri facit. Ergo MARIA gladio tranſuerberata doloris longè uehementius paſſa eſt, quàm cæteri, qui tantum corpus adhibent ad dolorem. Quis porro cæterorũ martyrum audeat ſe paſsionis magnitudine domino æquare? At immenſi illi & infiniti dolores, quos CHRISTVS excipiebat, in MARIAM redundarunt: non ipſa ut cæteri martyres poſterius pro CHRISTO, ſed unà cum CHRISTO, & in ipſo CHRISTO torquebatur: iiſdem (penè dicam) ictibus transfixa fuit. Recordare, quæ ante meridiano ſermone diximus: nam (et ſi in Euangeliis non contineatur) memoriæ proditum diximus MARIAM, quum Filio ſibi crucem baiulanti occurriſſet, vt primum uidit eum tam fœdè laceratum & diſcerptum, in ſpaſmum incidiſſe, & eius rei monumentum Chriſtianos, quum rerum illarum potiebantur, eo loci ueſtigio, ubi illa ceciderat, ſacellum ædificaſſe. Si ex aſpectu deformitatis ſolo tanta ſecuta eſt paſsio, quid ubi deinceps uidit in Caluariæ nudum, in cruce diſtentum, clauis ſuffixum, uulneratum, ſtillantem cruore, extrema uerba fundentem, & expirantem? Nonne matris animam fractam, conſciſſam, contritam, diſcerptam dolore dicemus? Nouo ſanè exemplo MARIA palmam martyrii tulit: nam Iudæi Filium affligebant, afflictio filii materna uiſcera torquebat. Credo autem diuinitus factum fuiſſe, ut in paſsione Filii MARIA tantopere in anima pateretur, ut hæc paſsio animæ acerbiſsima martyris illi coronam ferret: non enim decebat pro martyrii conſecutione ſanctiſsimam Dei genitricem tyrannorum ſubiici poteſtati, & ſacratiſsimum illud corpus, quod Deum in carne tulerat, impuris hominum manibus uiolari. Quod ſi obiiciatur CHRISTVM ipſum uiolatum fuiſſe: cogitandum eſt aliam cauſam filii eſſe, aliam matris. CHRISTVS enim (ut ante dictũ eſt) publicam cauſam agebat redemptionis, & ut copioſa eſſet redemptio, permiſſum eſt, vt multitudo tormentorũ illuc conflueret: Maria autem, ſi in confeſsione fidei aduerſus tormenta duraſſet, priuatã cauſam & ſuam egiſſet, nihil in commune præter exẽplum cõtuliſſet. Verũtamen propter puritatẽ dignitatemq.

perſonæ

perſonæ ab omni vi tyrannica immunis ſeruata eſt: ſatis eſt uiſum tempore paſsionis pro Chriſto tormentorum tuliſſe. Solent plerunque matres in funere filiorum exclamare, pugnis pectus tundere, capillum ſcindere, concutere ſe ipſas, & alia doloris indicia proferre: maximè autem deteſtari eos, à quibus filii patiuntur, quæ ſunt leuamenta doloris foras erumpentis, horum nihil Maria faciebat, ſed tacitam dolor intus urebat, anima eius per ſingula penè momenta doloris ſtimulis fodicabatur. Stabat (inquit Ioannes) iuxta crucem Mater IESV: ſtans MARIA iuxta crucis lignum exhibet memoriæ noſtræ Euam ſtantem iuxta lignum ſcientiæ boni & mali. Video duarum mulierum ſimilem ſtatum, ſed diſsimile factum. Res penes lignum geritur per ſibi oppoſitas mulieres: nam una attulit initium perditionis, altera ſalutis: uſus eſt diabolus muliere ad perdendum humanum genus, uſus eſt & muliere Deus ad ſaluandum. Sic enim decreto cœleſti comparatum erat, ut diceretur, mulier damnauit, mulier ſaluauit. Eua uirus, MARIA antidotum tulit, Eua fructum arboris ad ſe nihil pertinentem, uetita decerpſit: MARIA nihil de ligno decerpſit, ſed fructum uentris ſui in eo poſuit. Eua ex eſu fructus comparem ſe Deo facere curauit. MARIA Filium DEO pro uictima libentiſsimè obtulit. Num dubitamus, quin MARIA libentiſsimè obtulerit cœleſtis Patris obſequens uoluntati? At dubitationem hanc auferre nobis Abraham poteſt, qui iuſſus à Deo proprium filium, & quem habebat unicum, ſacrificare, non cunctatus ille poſthabito paterno affectu in ſacrificium adduxit, quem etiam ſuapte manu iugulare fuerat paratus, ſi per iubentis Dei auctoritatem licuiſſet. Inferior certè uirtute non fuit ſanctiſsima Dei genitrix, quæ diuinæ obſequens uoluntati cauſam mactandi filii probauit, & eum quidem ipſa non ſua manu ſed conſecratione ſuæ mentis peremit, quamuis de filii interitu uehementer mœreret. Exemplo filii mirè torquebatur in inferioribus animæ partibus, ubi præcipua uis ineſt ſenſuum: Ita ut cuperet ante omnia humani generis ſalutem, & eam doloribus ſuis præferret. Audi, quid Origenes dicat exponens illud. Et tuam ipſius animam pertranſiuit gladius. Nulla (inquit) docet hiſtoria beatam MARIAM ex hac uita gladii occiſione migraſſe, præſertim quum non anima ſed corpus ferro ſoleat interfici: unde reſtat intelligi gladium illum, de quo dicitur. Et gladius in labiis eorum, hoc eſt dolorem dominicæ paſsionis animam eius pertranſiſſe, quæ, et ſi CHRISTVM ut pote Dei Filium ſpontè propria mori, mortemque ipſam non dubitaret eſſe deuicturum, ex ſua tamen carne procreatum non ſine doloris affectu potuit uidere crucifixum. Hæc ille ſummus Eccleſiarum magiſter, quibus aſſentior. Illud præterea animaduerſum eſt à ſanctiſsimis uiris neminem eorum, qui ſub cruce ſteterint, & uehementer morte CHRISTI doluerint, vi & hominum manu obiiſſe, quaſi dolor ille

martyrii vice ſucceſſerit. De cunctis, qui tunc aderant hoc affirmare difficile eſt, multorum enim vita obſcurior, in notis tamen perſonis id contigiſſe ſcimus: nam nec Mariam Domini matrem, nec Ioannem Apoſtolum, nec Mariam Magdalenam tortores non perpeſſos fuiſſe, ſed naturali morte obiiſſe perſpicuum. Supereſt nunc, vt ſanctiſsimam hanc Dei genitricem rogemus ſupplicibus precibus ac votis per dolores illos acerbiſsimos, quos in paſsione Filii ſuſtulit, per viſcera eius tremefacta tunc & conquaſſata, vt nos ſaluτemque noſtram Filio commendet, roget, oret, obſecret, vt parcat peccatis noſtris, & poſt vitæ huius exitum ad regnum deducat beatorum. Audiet nos illa ſuppliciter precantes, nec omittet agere cauſam noſtram miſericors ipſa apud miſericordem Filium. Aduocatam ſe ſponte humani generis cõſtituit, nec nos potentius ac tutius patrocinium nanciſci poſſumus: bene igitur ſperare licet. E V S. Et tu alia non cenſes petenda, niſi dimiſsionem peccatorum & ſummi regni adeptionem. M A R. Non alia, nam his duobus incluſa ſunt omnia. E V S. Recte loquutum arbitror. M A R. Sunt quidam, qui idem ſignificant aliis duobus verbis poſtulantes ſuppliciter gratiam ſibi indulgeri & gloriam, quorum primum hac in vita eſt habendum, alterum in altera eſt expectandum. An non idem tibi uidetur? Nihil eſſe debet gratius gratia, nihil glorioſius gloria, utrumque in Deo ſunt, vel ipſe potius eſt Deus, quum hæc tradit, ſe ipſum tradit, ex quo quid ſequatur vides. E V S. Video nihil maius aut melius eſſe, quàm Deum adipiſci, nec adipiſcimur, niſi ſe ipſum ſponte tradat. M A R. Rem diligenter tenes. Sed num vis, vt conuerſi ad Dominum noſtrum I E S V M Chriſtum breuem orationem fundamus. E V S. Sane quidem uolo, nam ſi rogandam cenſuimus matrem, vt pro nobis roget Filium, quanto magis rogandus ipſe Filius bonorum omnium largitor, de cuius liberalitatis fonte & ipſa bibit. M A R. Surgamus igitur, & reuerenter genu flectamus. Quæ lingua, quæ mens digne tibi gratias agere ualeat domine I E S V pro tua ineffabili in nos charitate, qui, vt hominem redimeres perditum, homo fieri dignatus es, omneſque conditionis noſtræ iniurias in te recipere. Idemque in ara crucis agnus omnis expers maculæ hoſtia fieri pro nobis ſuſtinuiſti, pœnas peccatis noſtris debitas exoluens, vt nos cœleſti Patri reconciliares, quin & uiuens & moriens te totum nobis impendiſti, donaſti, dedicaſti. Quid enim pro nobis non tuliſti in hoc die acerbiſsimæ paſsionis tuæ? Captus es, vt nos à dæmonum captiuitate liberares: uinctus, vt à nodo peccatorum eximeres: conſputus, vt mundares: illuſus, vt honorares: ſpinis caput coronatus, vt noſtrum gemmis ornares: ſpoliatus, vt ueſte immortalitatis indueres: flagellatus, vt ſanares: uulneratus, ut ſaluares: mortuus, ut uiuificares: calicem bibiſti amariſsimum ab alienis illatum, ut nos de ſuauiſsimo beatitudinis tuæ fonte bibere poſſemus: deformis eſſe uoluiſti ſupra filios hominum, ut omni pulchritudine nos decorares. Et ecquod mortalem hanc ingrediens uitam non attuliſti? Veniſti ad colloquendum, ut contubernalis:

bernalis: ad docendum, ut magiſter: ad dirigendum, ut legislator: ad inſpiciendum, ut exemplar: ad ſanandum, ut medicus: ad propitiandum, ut hoſtia: ad offerendum, ut ſacerdos: ad redimendum, ut pretium: ad liberandum, ut uictor: ad defendendum, ut aduocatus: ad beatificandum, ut Deus. Tuæ nunc miſericordiæ genua amplectentes, te ſuppliciter rogamus, ut nobis paſsionis huius tuæ tanto charitatis igne ſuſceptæ memoriam cordibus perpetuam infigas, & efficias, ut quæ tibi placita ſunt omni tempore peragentes, ne unquam tot & talibus beneficiis ingrati reperiamur. Hoc præſta domine IESV Chriſte, quoniam non inſolitum hoc tuæ clementiæ, nec indecens ſapientiæ, nec graue potentiæ. Reſpice imbecillitatem noſtram, benignitatem tuam, huius recordatus, illius miſeratus. Oratum eſt. EVS. Gaudeo. MAR. Longos iam ſermones habuimus. EVS. Longos. MAR. Sit finis igitur. EVS. Finis. & Deo gloria.

## RERVM SENTENTIARVMQVE INDEX LOCVPLETISSIMVS.


ABEL iuſti ſanguis vltionem clamitabat. 155
Abeli ſacrificium cur Deo magis probatū quàm Caini 156
Abrahæ facinus à Deo laudatum 48
Abrahæ promiſſum oriturum Meſsiam de ſemine eius 48
acceſſoriæ & concomitantes cauſę quæ 38
acceſſum ad Deum qua nam re homines ſibi cōparant 6
accidentia plurimum conferunt ad demonſtrationem 253
Adam qua ratione filius Dei dictus 113
Adæ delictum quomodo tolli poterat 40
Adæ peccatum infirmos fecit omnes 45
admirationis origo vnde? 94
aduentus CHRISTI præcurſores & nuntij miſſi Prophetæ 6
Aelius Adrianus Imp. Hieroſolymæ primus inſtaurator, ac eiuſdem edictum. 124
agnus immolatus 24
Luna Martij quid ſignificabat 62
agnus paſchalis quo loco immolebatur 52
agni paſchalis eſus quid apud Hebræos ſignificabat 5
alabaſtrum 216
Alexandri Mediolanenſis Franciſcani laus 7
amantibus nulla lex 46
amari magis quàm metui vult Deus 48
Amen quid ſignificet apud Hebræos, & cur in Græcam aut Latinam linguam non ſit conuerſum 84.85
Amos prophetę locus 219
Anaxarchus cur laudatus 58
Andreas apoſtolus quomodo reſponderit Egeæ proconſuli 117
angelus Chriſto apparens & confortans eum 33
Angelis ęquales erimus ex promiſsione 245
Apocalypſis locus 255
Apollinaris hęreticus 254
Apollophanes ſophiſta 234
Apoſtoli cur dimiſsi Chriſto capto 68
Appius Alexandrinus errat 514
aquam amaram quomodo dulcem reddiderit Deus in deſerto 25
arca fœderis 110.112
arca fœderis quo loco collocata 42
Athenienſes ſummis honoribus dignos indicabant eos qui pro libertate patrię occubuerunt 5
augurum & aruſpicum celebre apud gentes nomen 242
Auguſti Cæſaris lepidum dictum de Herode 135
D. Auguſtinus multa Domino reuelante cognouit 35
D. Auguſtini laus 79
Auguſtini acuta & elegans interpretatio de Chriſti latere lancea aperto 242
Auguſtini opus de conſenſu Euangeliſt. 103.104


Augu-

Auguſtini ſententia de pœnitentibus 11
azymi panes cur & quando comedebantur 62
azymorum dies quot 62
azymorum diebus cœpta obſideri Hieroſolyma 122

B

BAbylonicam captiuitatem cur annis ſeptuaginta experti ſint Iudæi 120
baptiſmus & pœnitentia medicamenta animorum noſtrorum 42
baptiſmo deletur culpa primi parentis 41
baptizatus Chriſtus à Ioanne quando 135
boni ſpecie oblata peccant ferè omnes 87
bonos tueri rectius quàm malos vlciſci 138

C

CAini petulans reſponſum 146
Caini ſacrificium minus probatũ Deo quàm Abelis 156
à Calamitatibus nullum tempus immune 141
Caluariæ locus deputatus maleficis ac iuſtè damnatis, cur ſic vocatus 25
Caper cur Libero immolabatur. & cur Aeſculapio 113
Capitis officium quod 61
D. Catherinæ Senenſis ſtigmata 10
Catherina Senenſis in Diuorum ordinem relata 157. 178
Eiuſdem epiſtolæ & Dialogus, ibidem.
cauſæ concomitantes quæ? 56
cauſæ præcipuæ vel principalis quæ 38
cenſus capitum Iudeæ ſub Cyrino relatus à Ioſepho 135
ceremoniæ & ſolemnitates Iudaicæ CHRISTI morte ſublatæ 89
charitas Dei erga genus humanum incomparabilis 26. 46. 47. 159
Chriſtiani multi Neronis temporibus igni traditi 26
Chriſtus ad Iudæos ſaluandos venerat 20
Chriſtus factus pro nobis peccatum quid 46
Chriſtus Græcis quid 17
Chriſtus Hebræis regum nomen erat 73
Chriſtus cur inferna petiuit poſt mortem ante reſurrectionis diem 41
Chriſtus præcepta ſua opere adimpleuit 86
Chriſtus primogenitus reſurrectionis ex mortuis 137
Chriſtus quando crucifixus 78
Chriſtus quando paſſus 135
Chriſtus quo ætatis anno morti traditus 25
Chriſtus rex verè appellatus 17
Chriſti omnis actio ſubindicat aliquid aliud extra id quod geritur 154
Chriſti paſsio miſeratione digniſsima 17
Chriſti paſsio vtrum lugenda 10
Chriſti paſsione, humano generi maxima & incomparabilia comparata beneficia 6
Chriſti primum propoſitum quod 63
Chriſti ſanguis & mors, pretium redemptionis noſtræ 53
Chriſti ſanguis effuſus quàm diuerſus ab Abel iuſti ſanguine 155
Chriſtum eſſe Deum, non crediderunt Iudæi 17
Chriſti voces in cruce pendẽtis conſiderãtur 87 & deinceps 90. 91. & deinceps.
Chryſoſtomi encomium de latrone à dextris in cruce pendente 81
circumciſio in maſculos cur imperata 156
clamor validus Chriſti in cruce 27. 36
clancularia doctrina improbatur 71
Codri regis Athenarum factum memorabile 146 148.
Codri amor erga patriam 47
confidere viribus humanæ naturæ non oportet aliquem 72
confixas habere carnes ſuas quid 106. & 107
Conſtantinus Imperator quomodo vſus clauis crucis Chriſti 29
conterere quid 30
Cornelius Tacitus peritiſsimus moris Romani 125
correlatiuorum natura quæ 121
crux olim ſupplicium, nunc cur venerabile ſignum. 27
crux ſeruile ſupplicium 78
cruce nihil contẽptius, nihil ignominioſius 113
crucifixi Chriſti imago cur frequentius quàm reſurgentis & aſcendentis oſtenditur 49
crucifixionis cauſa quæ 95
crucifixionis Chriſti tempus qua hora 78
crucis etymon 105. 106
crucis laudes a Chryſoſtomo decantatę 109
crucis lignum defoſſum, Conſtantino Imperãte repertum 144
crucis ſupplicium cur durum habebatur 27
crucis ſupplicium olim ignominioſiſsimum 105
crucem maxime horrebant Romani 105
crucem vexillis ſuis primus Conſtantinus impreſsit 107
Curtij amor erga patriam 47
Cyrene ciuitas 77
Cyrus, ſoluta captiuitate Babylonica, Iudæis redeundi poteſtatem fecit 120

D

DAemones quomodo cognouerint Chriſtum filium eſſe Dei 147
Danielem de lacu leonum eruit Deus 34
Decius 47
Demoſthenes ſcripſit epitaphios ſermones 5
Deipara vocata virgo MARIA 163
delictum quando grauius habetur 40
Deus quid 46

Dei cognomenta quę apud Gentes 49
Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me 90.91
Deus fons vnicus virtutum & laudationum 23
Deus multis in locis Saluator & Redemptor vocatur 16
Deus quomodo homo factus eſt 40
dialogo cur potius quàm perpetua oratione tractauit auctor hoc argumentū de paſsione Domini 2
dilectio Dei erga mundum longe maxima 46
Dionyſius Ariopagita 134.135.136
diſcipuli Christi cur & quando dimiſsi in orbem terrarum 6
Diſcipuli ſoli credebāt Chriſtum eſſe Dei filium vnigenitum 87
dolor & lætitia quatenus de eadem re ſuſcipiuntur 10.11
dolor medicina doloris 11
dolores maximos cur ſenſerit Chriſtus 22
dolores tolerantes perpeti virorū eſt fortium 58
Dominico die cur non ieiūnamus 13
duplicem naturam & voluntatem habuit Chriſtus 154

E

Eccleſia prima Chriſti Hieroſolymis apparuit 129
Eccleſia primis temporibus armis non contendit aduerſus reges & populos 69
Egeas Achaiæ proconſul 112
emptionum venditionumq́; appellatio antiquitus promiſcua 121
epilogus 158
epitaphius ſermo qualis apud Athenienſes 5
equus cur Soli immolabatur 113
equorum greges ante Ceſaris mortem pabulo abſtinuerunt 140
Eſaiæ prophetę locus 68.107.108.113.150
Et cum iniquis deputatus eſt 78
Eutychetis hęreſis 154
exceſſus quomodo intelligendus 34
exemplaria verorum quænam vocat Paulus 156
exemplis cur magis mouemur quàm verbis 59
expiationis dies & ritus apud Hebræos quis 42
extra muros & portam Hieruſalem cur paſſus Christvs 53 Exodi locus 157
Ezechielis locus 119

F

Ficta & ſimulata cito decidunt 17
filium hominis oportuit exaltari 107
Foderunt manus & pedes meos 77
D. Franciſci ſtigmata 10
fructus paſsionis quis 38.39

G

Gehenna 85 Geneſis locus explicatus 156
Grano frumenti cōparata Chriſti paſsio 32
Gregorij ſententia & laus de latrone a dextris pendente 82

H

Haereſis negans Chriſtum non verè fuiſſe hominem quibus in ſpeciem rationibus nitebatur 153
hæreticos & infideles quando deiecerit Chriſtus 17
Hebræi ab Aegyptijs irriſi 22
Hebræi cur olim agnum paſchali tempore immolabant & comedebant 5
Helena Conſtantini mater inuenit clauos & crucem 29
Heliſeus irriſores vltus eſt maledictione 22, 23
Herodes Galilęæ tetrarcha. 72.126. Tiberiadem condidit 128. in Perſia à multitudine ob crudelitatem occiditur 128
Herodes cur proprium filium interfecerit 135
Herodi cur non reſponderit Chriſtus 73
Hieremiæ locus 75
D. Hieronymi præſtantia in ſacris litteris & laus 95
Hieronymi & Ambroſij opinio de latronibus in cruce pendentibus 103.& 104
Hieronymi & Ambroſij opiniones de tenebris factis tempore paſsionis 136
Hieroſolyma cur vocata ſancta 138
Hieroſolyma non cognouit tempus viſitationis ſuæ 123
Hieroſolymæ inſtaurator Aelius Adrianus 124
Hieroſolymitana euerſio cur 73
Hieroſolyma quando exciſa & ſolo æquata 122
Hieroſolyma, quondā vrbium omnium Orientis clariſsima 25
in Hieruſalem cur Chriſtus mori voluerit 52
hircus emiſſarius qui dicebatur 43
hircus & vitulus extra caſtra oblati quid ſignificabant 53
homines quanam re ad Deos propius accedāt 6
honeſto contineri omnes virtutes cenſent Stoici 59
hoſtia accepta, & Deo placens quæ 42
hoſtibus beneficia dat Chriſtus 69
humanum genus quatenus poſsidebat diabolus 55
humani generis cauſa quænam a Deo ſuſcepta, & quæ donata 59
humilitas Chriſti longè maxima 39
humilitatis exemplum in Chriſto vbi maxime apparuerit 64
hypallage figura 68

I

Iacobus frater Domini de pinna templi præceps datus 126
Iacobi Apoſtoli mors qualis 86
ob Iacobi cognomento iuſti necem putauit Ioſephus Hieroſolymam euerſam 124

Iesvs

IESVS Chriſtus aduocatus noſter & propitiatio 61
IESVS quid ſignificet Hebræis 44
IESVS vocatus paſtor & epiſcopus animarum noſtrarum 17
ex Ignorantia adducitur quicunque peccat 87
immolationis agni paſchalis ritus 62
Imperium ſuper humerum eius, quid 76
imprecationes in iniquos factæ quomodo intelligendæ 86
infantiũ a bimatu occiſio relata a Macrobio 135
ingratitudo deteſtabilis in Iudæis erat contra Chriſtum 20
inſtauratio humani generis cur non ſtatim poſt peccatum facta 50.51
Ioannes Euangeliſta ſub Domitiano in dolium feruẽtis olei miſſus 32 Ioan.cap.3 locus 160
Ioſeph mercatoribus Aegyptijs venditus 120
Ioſephus Iudaicum bellum diligentiſsime Græce ſcripſit 123
Ioſephi hiſtorici laus, & eiuſdem præclarum de Chriſtò teſtimonium 125.165
irriſiones, magnum malum 23
irriſores Heliſei, vrſorum lacerationem paſsi 23
Iſaac quomodo ſacerdotis perſonam geſſerit 76
Iſraeliticum populum de ſeruitute Aegyptiorum eruit Deus 34
Iudas ſuſpẽdio plus peccauit in Chriſtum quàm proditione 122
Iudæ indignatio in Chriſtum vnde initium habuerit 116 eiuſdem auaritia 117
Iudæ ſcelus cur ingens & maximum 118.& 119
Iudæi hoc tempore diſperſi per gentes aliena miſericordia viuunt 123
Iudæi non crediderunt Chriſtum eſſe Deum 37
Iudæi pertinaces, & gens duræ ceruicis 91.92
Iudæi, quo tempore omnes vno nomine Iſrael vocati 120
Iudæi vtrum Chriſtum filiũ Dei cognouerint 87
Iudæorum gentem Deus maximis beneficijs proſecutus eſt 20
Iudæorum legem Veſpaſianus Imp. in triumpho portauit 90
Iudæorum templum denuo extrui cœptum terremotu corruit 90
Iudaicæ afflictionis cauſa quæ 122
Iudaico bello quot hominum milia interierint & quot in captiuitatem abducta 122
Iulianus Chriſtiano nomini infeſtus 90
Iulius Cæſar quando occiſus 140
Iuſtificaſtis Sodomam cur dictum Iudæis 124
iuuenili in ætate cur Chriſtus mori voluerit 52

L

LAcus inaquoſus quid 156
Læta & ſecunda quæ obuenerint Chriſto 56
latronis à dextris in cruce pendentis fidem extollit Chryſoſtomus 81
Latroni tres virtutes cœleſtes tribuit Gregorius 82
latronum vter in Chriſtum conuiciatus ſit 103
latus CHRISTI lancea apertum, quid denotet 142
libertatem quanti fecerint Athenienſes, & liberationis dies quomodo celebrabatur ab ijſdem 5
litteris quæ mandantur validius inhærent mentibus 2
per lignum præuaricationis mors, per lignum paſsionis mors pellitur 112
ligni ſupplicium lex vetus damnabat 105
Lucæ Euangel. cap.22. locus 78
luctus & gaudium quomodò de eadem re ſuſcipi poſſunt 10.11
lugubris ſermo quotannis ab Athenienſibus celebrabatur 5
Lycaon Ouidianus quid molitus eſt 102

M

MAcarij Antiocheni patriarchæ error 154
mala inſolita magis cõmouent & affligũt 26
mala propria acrius quàm aliena pungunt 12
manuum ablutio quando prodeſt 127
Maumethani negant Chriſtum crucifixum 78
mediator Dei & hominum IESVS Chriſtus 40
mediatoris nomen quid propriè 40
Meſsia Hebræis quid 17
Meſsia Deus vocatus in ſcripturis 36
Meſsias ab Hebręis expectatur vt homo tantũ 16
Micheæ prophetæ locus expenditur 20
miracula cur penes quoſdam non fecerat Chriſtus 54
miracula plura ėdidit ſolus Chriſtus, quàm vniuerſus Sanctorum cætus 132
miracula quæ vocanda 142
mœſtitia diſcipulorum de morte à CHRISTO non improbata 11
monſtra quæ 142
monumenta aperta paſsionis Chriſti tẽpore 137
mors Chriſti quibuſdam dignitatem & laudem: alijs indignitatem & pœnam diuerſis rationibus attulit 130
mors per lignum paſsionis pulſa 112
mors quando deſtruetur 52
morte Chriſti veteris legis ſacramẽta extincta 89
mortuus Chriſtus pro omnibus 53
mortuus eſt filius Dei, quomodo intelligendum 20
Moyſis mors quibus indicijs prædicta 89
muliebre genus ad lacrymas pronum 12
mulieris nomine cur Matrem compellat Chriſtus 80
mundi error in quibus potiſsimum erat 74
mundi finis a nemine cognitus 80

mysteria

myſteria noſtræ religionis humano ingenio ap-
prehendi nequeunt 84

N

NArdus 116. ſpicatum cur vocet Marcus Euangel. 116 huius vſus in delitijs 117
natiuitas Chriſti cur humili: mors vero cur celebri in loco fuerit 52.53
Nattę liber de Pœnitentia 85. Et oratio de aſſumptione beatiſsimæ Virginis 163
Neſtorij error 154
Nicodemi euangelium eccleſia non recepit 102
Niſſus pro Eurialo morti ſe obiecit 47
nona hora eiectus fuit Adam è Paradiſo 112 eadē Chriſtus morte ſua Paradiſum aperuit. ibid.
nouitas rerum commouet ſciendi cupiditatē 37

O

OBedientia CHRISTI incomparabilis 39
Odor vires maxime reficit 117
opprobria multa Chriſtus paſſus eſt 23
oracula quando defecerint 148
oratio ad IESVM Chriſtum 166
originale peccatum 39
ab Origine mundi vſque ad Virginis partū quot anni fuerint 80
Originis Adamātij laus 134. & elegās expoſitio de indicijs mortis Moyſis & Chriſti regni 89
oſtenta quæ 142
oſtium in arcę latere a Noë factum quid 142
Ouidij ſententia de ablutione manuum 127

P

PAradiſus quid proprie 85.112
parergon 162
paſcha quid, & qua de cauſa celebratum 62
Paſsio Chriſti tum Propheterū vocibus, tum in veteri lege imaginibus & figuris pręnotata 18
Paſsio Chriſti miſeratione digniſsima 17
paſsionis fructus multiplex 130
paſsionis ſuæ quodnam tēpus elegit Chriſtus 62
paſtor bonus CHRISTVS 149
Pater ſi poſsibile eſt trāſeat à me calix iſte &c. 152
patitur Deus, quomodo intelligendum 19
Pauli locus conciliatur cum Euangelio 53.54
Pauli locus ad Corinthios 63.61.114.155
ad Hebræos 53.58.156.161. ad Epheſios 145
ad Timoth. 81. Pauli locus 155
pauperem pro calciamentis vendidit, quid 120
peccatum ab Adam contractum, per Chriſti paſſionem ablatum 51
peccatum primi parentis, inimicitiarum inter Deum & homines cauſa 47
peccatum quid vocabatur in veteri lege 45
peccatorum remiſsio per Chriſti ſanguinem 42
percutiet te Deus paries dealbate quid 86
peroratio 158
perfectio ſumma qua in re conſiſtat 62
Petrus & Andreas in crucem ſublati 105.106.108
Petrus quot Iudæorum milia duabus concionibus ad fidem conuerterit 86
Petri Epiſt. 1. locus 58.76.155
Pharao cur Iudęis libertatē exeundi conceſſit 62
Phariſæorum officium quod 72
Philo Iudęus & Phlego hiſtoriographus 135.134
Pici Mirandulani apologeticus 111
Pilatus à Tiberio in exilium miſſus 128 ſibi ipſi manus intulit violentas, ibidem.
Pilatus relicto ſuo iudicio de Chriſto, in crimen tranſijt alienum 25
Pilati epiſtola ad Tiberium Imperatorem 142
Pilati vxor cur inſomnia potius quàm ipſe Pilatus viderit 129
Pilato nihil profuit manuum ablutio 127
Plato epitaphios ſermones ſcripſit 5
Plutarchi querela de oraculis 148
pœnas tantas cur voluerit Chriſtus ſubire 26
pœnitentię fructus 41 pœnitentiam & baptiſmū Chriſtus ſuo conſecrauit ſanguine 42
poëtica carmina quatenus admiſcenda ſacris 139
pontificatus diuina lege erat perpetuus 72
Pontius Pilatus cur Romā è Iudæa reuocatus 125
Pontij Pilati patria quæ 125
pontifex 15
porca cur Cereri immolabatur 115
portenta quæ vocentur 142
Porphyrius, ac eiuſdem impietas notatur 148.17
potētia & volūtas in Deo nō ſunt diſcreta 152.153
poteſtas omnis eſt a Deo 128
poteſtas tenebrarum quando cœpit 57
poteſtatibus obſequi quatenus monemur 73
præſides quibus prouincijs deſtinabātur, & quomodo à procuratoribus differebant 125
principes ſacerdotum qui 72
principales cauſæ quæ 38
procurator an præſes fuerit Pilatus 125
prodigia quænam appellantur 145
Prophetæ paſsionis acerbitatem prælocuti 29
prophetarum dicta occulta & imagines obſcuræ ante Chriſti paſsionem 125. 147
Pſalmi decimi ſexti locus 70 Decimi octaui 106 vigeſimi primi 77 vigeſimi quinti 127 centeſimi octaui 86
pueros tres de camino ignis liberauit Deus 34
Pyladis & Oreſtis amicitia inſignis 47

R

RAcca quid 85
Rationis proprium eſt prudentia 114
reconciliator CHRISTVS 40
redemptio Chriſti etiam ad mortuos pertinet 55
redemptio humani generis cur per ſolum Chriſtum fieri debebat 39 redemptionis beneficium maius quàm creationis 49
redemptionis noſtræ ſacramentum 63
redemptionem habemus in ſanguine Chriſti 45
redigere in puluerem 31
religio Chriſti ad frangendam dæmonum vim

poten-

potentiſsima 148
retributionis differentiæ quot, & quæ 21
Rex Iudæorum IESVS Chriſtus, quomodo 143
rhetorũ loci ad miſericordiã captãdã quales 18.19
Romanorum magiſtratuum conſuetudo in flagellandis reis 126

S

SAcerdotes ſummi Marco Euang. qui 72
ſacrificia Hebræorum vetera cur amplius non appareant 157 ſacrificia iuſſu legis oblata apud Hebræos qualia 42
ſacrificium a Chriſto inſtitutum quod 15 maximum & perfectum quod 42 ſacrificium non perficitur ſine ſanguine 105
a Sale rege ſacrificium oblatum Melchiſedech 15
Saluator cur vocatus IESVS 44
Saluatoris ſignum in ſolo vel ſilice humi poſito inſculpere vel pingere vetitum 108
Sancta ſanctorum ſolus Pontifex ſemel in anno ingrediebatur 156
ſanguine aſpergi veteris legis ſacramenta voluit Deus 156
ſanguinem quòd Chriſtus ſudauerit quid 154
ſanguini Chriſti debemus oĩa 155.157. ſanguis eius ſuper nos & ſup. fil. noſt. quid 123. & 129
Sapientiæ locus 101
Saracenis maximo ſunt odio Iudæi 124
Saul in proprium maluit incumbere gladium, quàm à Philiſtæis cum irriſione interfici 23
ſcelera tria quibus ignotum voluit Deus Iudæis, quæ? 120
Scribarum munus 72
ſcripturarum myſteria penes Phariſæos 87
Seniores populi qui vocati 72
Sergij Conſtantinopolitani hæreſis 154
Serpentis exaltatio per Moiſem quid 45
ſigna vltimum mundi diem præcurrent 141
ſeptem voces à Chriſto editæ in cruce 80
Simeonis dictum de Maria 104.163 interpretatum ab Origene 165
ſitio vox a Chriſto in cruce prolata, quid 96
ſitis quid aliquando poëtis & oratoribus 97
Solis die ieiunare fas non eſt. & cur 13
ſors Dñi quæ vocata 43 ſoter quis dicatur 6
ſoteria quo tempore celebrantur a Chriſtianis 6
ſpinæ ex quibus corona contexta quales fuarint 27.28
ſtabat iuxta crucem Mater IESV 165
Stephanus extra ciuitatem proiectus lapidatus eſt 126 Stephanus pro lapidãtibus orauit 86
ſurrexerunt multa corpora Sanctorũ apertis monumentis quomodo intelligendum 137
Suſannam de falſo crimine liberauit Dominus 34

T

TAbulæ duæ veteris legis monumẽta & cãdelabra inſculpta viſuntur adhuc Romæ 90
teletæ quæ 42
tẽpli reædificatio ad prioris formã quã facta 120
tenebræ quomodo factæ ſuper vniuerſam terram & cur 133.134. & 136
terræmotus memorabilis Tiberij Cæſaris tpe 137
terrore cur affici voluerit Chriſtus 154
teſtamentum primum non eſt ſine ſanguine dedicatum 156
Theodorus Cyrenaicus 59
Theodoſij & Valentini leges de ſacro crucis ſigno depingendo 108
Theramenes 59
Thomæ Aquinatis laus 96 opinio de tenebris paſsionis tẽpore 136 ſentẽtia cõſideratur 87
Thucydidis epitaphij ſermones quales 51
Tiberiadem condidit Herodes Galileæ tetrarcha 128
Titi dictum de Iudæis memorabile 122
titulus in cruce poſitus ſupra caput IESV, conſideratur 142.143
Torquatus cur filium ſecuri percuſsit 10
Torrens Cedron vbi 96
tributum Iudæis impoſitum a Veſpaſiano 123
triticei grani ſimilitudinem accõmodauit Chriſtus ad paſsionem ſuam 38

V

VAh 99
velũ tẽpli cur ſciſſum in duas partes 136.137
venditio Chriſti vtrum de ſceleribus Iſraël 119
Veneris die cur ieiunare Chriſtiani conſueuerint 13
veritas vetuſtate corroboratur 17 veritatem odiſſe, ſtultorum eſt 21 veritati quomodo Chriſtus teſtimonium perhibuerit 74
Veſpaſianus Imp. legem Iudæorum tamquàm ſpolium in triumpho portauit. 90
Veſpaſiani edictum contra Iudæos 123
vetitum cibum qua hora ſumpſerit Adam 112
victimæ qua ratione numinibus immolabantur 113
virga Aaron 110
virga in ſerpentem a Moyſe verſa 110
Virgilius poëta ſummus 139
Virgilij loci 103.139.140.141
Vitellij iuſſu Pilatus Romã è Iudæa cur petijt 125
vitulus & hircus extra caſtra oblati quid ſignificabant 53
in Vltionem non eſt prouocandus Deus ſed ad lenitatem 86
vnctio ſpiritalis Deo conueniens 17
vnigenitus Dei filius quomodo intelligitur paſſus 20
vulnus CHRISTI, quibus imaginibus veteris legis fuerit adumbratum 142

Z

ZAchariæ locus 156
Zeno Eleates cur celebratus 58.59



F I N I S.

5-3-2

N